This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600003671N

27-728



600003671N

27-728

600003671N

27-728

Januar 1827.

C. CORNELII TACITI

DE VITA ET MORIBUS

C. IULII AGRICOLAE

LIBELLUS.

IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

FRID. GODOFR. GUIL. HERTEL,

VIMARIENSIS,

PHILOS. DR. AA. LL. MAGISTER, LYCEI ZWICCAVIENSIS

RECTOR ET BIBLIOTHECARIUS.

APPENDICIS LOCO ADIECTA EST DISSERTATIUNCULA

DE VEXILLARIIS.

LIPSIAE

SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.

MDCCCXXVII.

728

VIRO AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

FERDINANDO HANDIO

PHILOSOPHIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORD.

JENENSI, ANTEA VIMARIENSI,

PRAECEPTORI DILECTISSIMO AC DE SE MERITISSIMO

IN TESTIMONIUM GRATI ANIMI

HUNC

TACITI LIBELLUM

D. D. D.

EDITOR.

PRAEFATIO.

Quum ante tres et quod excurrit annos *mun*eri, quo etiamnum fungor, praeponerer, primo statim anno Taciti vitam Agricolae primae Lycei nostri classi explicandam mihi sumseram. Editiones omnes, quae eo usque in lucem prodierant, vel majoris, ut Oberliniana, erant molis, quam quae discipulis usui esse potuissent; vel *min*ores tenuioresque ac solam fere scriptoris orationem exhibentes. Attamen nullum praeceptorem, qui ad Tacitum cum discipulis legendum accessit, fugisse potuit, quam difficilis hic scriptor adolescentulis, in Cicerone intelligendo fortasse satis versatis, videri soleat, ubi primum ad eum tanquam in novam aliquam terram, de qua fando tantum acceperunt, deferuntur. Alia prorsus est orationis conformatio, aliae passim constructiones, non raro alia verba, novo certe sensu adhibita, ut paucis com-

plectar, alius quidam, qui a summo viro operibus suis inductus est, color. Jam praeceptori in scholis habendis, siquidem, ut debet, id operam dat, ut divinus scriptor penitus intelligatur omnisque ejus pulchritudo percipiatur, larga satis opus est explicatione, quae, dum singulis minutisque interdum rebus immoratur, haud raro impedit, quominus totius operis praestantia persentiscatur, simulque efficit, ut ingenium, quo immortalia veterum scriptorum opera splendent, ni prorsus pereat, certe obumbretur, ab iisque rebus, quae mea quidem sententia secundariae esse debent, obruatur. Continuo igitur consilium cepi novae editionis adornandae, quae huic malo mederi posset, et ab eo inde tempore Tacitum, quem jam antea in deliciis habueram, lectitare coepi, eo quidem fine, ut, quae in reliquis scriptoris laudatissimi operibus huic libello explicando laterent, conferrem in meosque usus converterem. Mox autem videbam, duabus opus fore editionibus, altera quidem, quae, levioribus omissis, VV. DD. usui destinata, criticam artem factitaret; altera, quae tironum in gratiam scripta, ea tantum contineret, quae explicandis rebus diffici-

lionibus atque grammaticis adolescentulorum necessitatibus satisfaceret. Undecunque igitur poteram veteres editiones conquirebam easque fere omnes, quae a DRONKIO, V. CC., de hoc Taciti libello post plura secula meritissimo, recensentur, conferebam; in iisque etiam Stephanianam quam DR. non commemorat, hujus libelli recensionem, quae legitur in appendice vitarum Plutarchi parallelarum, a. 1572, a bibliotheca nostra mihi suppeditatam. Verum, proh dolor! deerat nova codicum Vaticanorum collatio, quam a Broterio negligentius factam suspicabar; neque tamen, qua via eam accipere possem, habebam. Quibus in angustiis quum dubius haererem, ecce! tanquam Deus ex machina, nova mihi affertur *Dronkii* editio, in eaque etiam illa, qua aegerrime carebam, alterius Vat. cod. collatio, a Viro doctissimo, *Maggioranio*, facta. Haud diu post *Godofr. Hermannus*, praeceptor dilectissimus, quocum per Zwiccaviam proficiscente meque conveniente consilium novae editionis parandae communicabam, me certiorem fecit, *Walchii*, V. CC., de cujus editione, dudum exspectata, inter Viros Doctos constat, in

Taciti Agricolam commentarium absolutum esse proximeque ut ex ipso auctore audierit, typis descriptum iri.

Igitur operam meam huic negotio impensam quum seram fore intelligerem, ne prorsus tempus perdidissem, abjecto illo consilio ad concinnandam alteram, quam dixi, editionem, usui scholarum destinatam, me accingere coepi. Omninoque, si veri esse volumus, his inprimis opus est editionibus, tum multo facilioribus, si oratio alicujus scriptoris criticorum studio emendata atque ad codices constituta est; atque his maxime editionibus permultum commodi nostris discipulis omninoque gymnasiis afferri, nemo facile negabit. Iis enim, si qua alia re, privata assiduitas augetur, praeparatio accurata et comparatur et adjuvatur. Quodsi discipuli res, quae a praeceptore in scholis ipsis tractabuntur, domi jam mente volverunt; si ipsi de singulis cogitarunt, atque, quod fere non animadvertunt, quibus in locis difficultates sint, cognoverunt in easque inquisiverunt; si denique res grammaticas examinaverunt, librosque laudatos inspexerunt: in scholis ipsis jam colloquium quoddam inter discipulos et magistrum in-

stituetur, miraque inter utrosque exardescet alacritas discipulorumque inter se aemulatio; praeceptor singula quomodo intellexerint, explorat; quid ipsi senserint, ex iis quaerit; supplet, emendat, amplificat, ac verius, quam dum solus loquitur, erudit. Quis autem est, qui neget, eam demum veram esse tironum eruditionem, quam ipsi sibi, veterum libris insudantes, comparaverint; id demum vere ab iis teneri, de quo interrogati verba facere possint? Id ipsum summum est scholarum pro academiis commodum, quod in his praeceptor solus docet, in illis colloquio instituto singulorum vires magis et explorantur et accuuntur.

Sed erunt fortasse, qui uberiorem esse hanc editionem, quam necesse sit, dicant; qui criticam passim attingi vituperent; qui notulas adjectas latino sermone conscriptas aegre ferant. Si qui vere ita sentiant, iis, si fieri potest, refutandis sufficiant haec pauca. Ac primum quidem quod attinet, ita comparatum est, ut fere pro cujusque sensu diversum esse soleat; ego quidem id operam dedi, ut linguae leges maximeque Taciteum loquendi genus explicarem; deinde, ut difficillima quaeque attingerem, neque

tamen nimis rem tironibus facilem reddererem omneque investigandi et cogitandi negotium tollerem; denique, ut locos, quos laudarem, integros ubique paucissimis exceptis exscriberem, ut legentium oculis subjecta quum essent, nimia evolvendorum librorum molestia evitaretur; interdum etiam, quid laudatissimi veterum scriptorum interpretes in ipsorum commentariis annotarint, ipsissimis eorum verbis describerem atque in commentariolum transferrem.

Secundum, quod fortasse displicuerit in ejusmodi quidem editione, illud erat, criticas haud raro esse annotationes. Verum, qui paululum modo cognita habet Taciti scripta atque inprimis hancce Agricolae vitam, eum non latet, nullum fere inveniri locum intellectu difficiliorem, quin idem a scriptura laboret; quomodo igitur explicetur, nisi idem antea secundum optimos libros fuerit constitutus? Minus etiam ii hoc factum reprehendent, qui quantum ea ars, parce ac sapienter exercitata, melioribus tironum ingeniis arridere soleat sciunt; quo illud etiam accedit, quod Taciti scripta nonnisi cum iis legantur, qui levioribus absolutis, ad altiora adspirant. Omni-

no, ut in omnibus rebus, alicujus rei non usus, sed abusus ac praepostera, qua ea utimur, ratio nocet. De tertio vix est, quod moneam. Malo equidem terant e. g. tirones *Matthiaei*, V. CC., editiones orationum et epistolarum Ciceronis, elegantissimo illas instructas commentario, quam alios quosdam vernaculo sermone conscriptos, quos fere plus desidiae augendae quam studio eorum acuendo inservire mihi persuasum est. Primis scholarum ordinibus auctores veteres latino ore explicandi sunt; quidni igitur etiam commentarii latine scripti sint?

Atque haec quidem de consilio hujus editionis ejusque ut ita dicam historia, quae cum collegis meis communicarem, habebam. Unum etiam adjiciendum est. Namque, quum jam in eo essem, ut schedulas consignatas tabellariis Lipsiam transferendas traderem, nova mihi, quae modo prelum reliquerat, felici casu allata est editio Agricolae, ab U. I. H. *Beckero*, apud Racisburgenses Conrectore, curata. Eam inspectam legere quum incepissem, uno tenore perlegi ac mirifice laetatus sum, quum, Virum Doctissimum plerisque longe in locis mecum consentire omnesque fere cod. Vaticani

scripturas, a *Dronkio* praetermissas orationi scriptoris intulisse viderem. Qua re, etsi meam qualemcunque laudem obscuravit, tamen tantum abfuit, ut illud mihi dolorem, ut, quum suo judicio meum confirmaret, mihi gaudium crearet. *Dronkio* enim, ut facillime fieri potuit, id accidit, ut, vulgatae recensioni diu adsuetus, novis scripturis, a cod. optimo exhibitis, nimis abstineret orationemque Tac. timidius refingeret; *Beckerus* contra in ea re audacior, optima quaeque non probavit tantum, sed etiam recepit. Ubi igitur cum eo consentiebam, verbulo significavi; ubi non poteram ejus sententiam probare, certe, quid sensisset, paucis adjeci. Exstitit hoc modo una aliqua, quae uni codici inniteretur, hujus libelli recensio, in qua non amplius diversissimae quaeque diversarum editionum veterum scripturae commiscerentur, sed totum aliquid suique simile exhiberetur. Appellavi alterum cod. Vat., adhuc Romae superstitem, qui numero 3429 est, codicem A; alterum, a Broterio collatum nec jam amplius repertum, numero 4498, codicem B; editiones singulas, a DR. quovis in loco accuratissime laudatas, raro tantum nomine

laudavi. Porro in hanc editionem transtuli, quae post Dronkium ad hunc Taciti libellum, partim in censuris, partim in aliis libellis a VV. DD. allata sunt, ut locus esset, ubi dispersa illa in unum redacta reperirentur. Hoc nomine benigne excusabitur, si interdum libri laudantur, qui tironibus haud facile ad manus sunt; nonnisi in iis, quae Dronkianae editioni supplendae inserviunt, hoc factum reperies. Neque tamen, quum haec opella discipulis destinata sit, ubique atque in quovis loco nomina interpretum addenda duxi, ac fere in iis tantum feci locis, in quibus ipsissima eorum verba laudarem. Annales in vitam Agricolae ideo omittendos censui, quo discipulis occasio eorum conficiendorum relinqueretur; facillime enim illud duce magistro ab iis fieri poterit. Haud ingratum multis viris doctis me fecisse spero, quod appendicis loco huic editioni adjeci commentationem de *Vexillariis*, a me ante aliquot annos in programmate Scholastico propositam; recenset enim illa VV. DD. de hoc militum genere sententias atque, quam fieri poterat accuratissime, quid de iis statuendum esse videatur, denuo investigat. Index denique ea, quae in notis

explicata sunt, continet, atque, quod DRONKIANA editio eo caret, permultis haud erit ingratus.

Quodsi hac mea opella, in qua multa desiderari posse ipse satis scio, ad aureum hunc Taciti libellum, cujus lectio ita tenet, ut nova semper in eo relegendo afficiamur voluptate, melius intelligendum et in gymnasiis saepius legendum, aliquid certe contulerim: satis mihi videbor praemiorum mei laboris consecutus esse, aequosque judices hoc rogo ut cogitent, esse hoc primum virium mearum in hoc campo rudimentum.

Scripsi Zwiccaviae Kalend. Novembr. MDCCCXXVI.

JULII AGRICOLAE VITA

Clarorum virorum facta moresque posteris tra- C. 1.
dere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quoties magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores, ut agere memoratu digna pronum magisque in aperto erat, ita cele-

C. 1. *Facta moresque* ad vitam publicam privatamque refer. *incuriosa suorum* A. 2, 88. *Romanis haud perinde celebris* (Arminius), *dum vetera extollimus, recentium incuriosi*, coll. Vellej. 2, 92. De genit. v. infra c. 43.

usitatum, *n. n. q.* — *omisit* de ellipsi, quae his in vv. est cf. Ramshorn. gr. p. 682.

quoties Quint. J. O. 1, 7. ab in. *ut longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est etc.*; ex hoc apice serius littera n facta esse videtur, quam veteres ignorarunt. Pronuntia quoties, ut tabesco et simm. cf. Ruperti ad Iuv. satt. 1, 1. Passow tamen ad Germ. 15. alteram formam *quotiens*, ubi in ll. reperitur, non sollicitat.

magna ac nobilis haec in sentiendi liberalitate, illa in factis perpetrandis cernitur.

supergressa lapis ap. Grut. p. 260. 4. *omnes omniam ante se maximor. impp. gloriai supergressus.* Sic etiam *egredi* pro *superare* v. Ruhnken. ad Vell. 2, 40.

pronum magisque in aperto cf. infra 33. *pronus* i. e. ubi facilis est descensus; *apertus* de planitie, ubi nil obstat; opp. montibus.

berrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt; nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. Adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit: quam non petissem, ni incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.

Tropice, ut h. l. H. 3, 56. *quum transgredi Apenninum — in aperto foret.*

sine gratia aut amb. gratia i. e. ut pararet gratiam; *ambitio*, ut laudem consequeretur (Gunstsuchung u. Ehrsucht); aliis in locis *ambitio* est placendi studium, adeoque *adulatio*, v. Oberl. ad H. 1, 1. Schütz in lex. Cic. — Ut h. l. dicitur A. 12, 24. *regum in eo ambitio vel gloria;* Cic. off. 1, 25. *miserrima est omnino ambitio honorumque contentio.*

fiduciam conscientiam recte et probe egisse.

Rutilio et Scauro ille appellatur *vir non seculi sui, sed omnis aevi optimus* a Vell. 2, 13.; hic ad Fulidium tres libros „*de vita ipsius acta, sane utiles*" scripserat, Cic. Brut. 29.

ni incusaturus omissa vocula *ni* sic exhibet cod. Vat. A.; quae quum abesse nequeat, et in vett. edd. legatur *ni cursaturus*, excidisse videtur ob similitudinem litterarum. *Cursaturus* nullo modo defendi potest; alia prorsus sunt, quae laudantur, poëtarum loca (Virg. A. 3, 191. Ovid. Trist. 5, 7, 36. ex Ponto 1, 3, 76.); *incursaturus*, etsi non alienum a Taciti usu, h. l. gravius est, et metaphorico sensu apud Nostrum non reperitur. Quod recepi, dudum Lips. et Heins. conjecerant. Sibi venia opus esse dicit, quod nunc *demum*, defuncti quidem (non ut superiores scriptores, nondum mortui) vitam scribat; hoc autem se multo ante facturum fuisse significat, si ob tempora licuisset. Hoc sensu, qui unus recte habet, nonnisi *incusaturus* quadrat. Hanc scripturam etiam Becker recepit, qui sic exponit: *excusat se, incusat tempora.* — *Fuit* et *petissem*, quoniam praefatio tanquam

Legimus, quum Aruleno Rustico Paetus C. 2.
Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse; neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur; scilicet illo igne vocem pop. Rom. et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis in-

---

epistola est. *incusaturus* sc. essem ut c. 16. *velut pacti* sc. essent 26. *donec pulsi hostes.*

C. 2. *Aruleno Rustico* Suet. Dom. 10. interfectum esse narrat, *quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci* (in hoc tamen fallitur) *laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros.*

Paetus Thr. scripsit librum de vita Catonis, cujus unus erat admirator A. 16, 21. *Nero virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano.*

Herennio S. ideo accusatus, *quod de vita Helvidii libros composuisset* Plin. epp. 7, 19. coll. 1, 5, 3.

Helvid. Pr. H. 4, 5. — Dione tamen collato 66, 12. apparet asperiorem eum fuisse adeoque concitasse plebem contra imperatorem. Interfectus est a Vespasiano.

triumviri capitales nobiliorum ordinum rei a populo ipso vel a quaestionibus perpetuis damnabantur; inferiorum ordinum crimina capitalia ab his triumviris, quibus simul alia quoque munera injuncta erant. Primum creati putantur anno a. C. n. 289.

delegata, hoc voc. de eo usurpatur, quod alicui injungitur, nec tamen sui muneris est.

in comitio ac foro est solennis formula. Ascon. ad Cic. pro Mil. 5. *comitium*, inquit, *ea pars fori, quae proxime curiae Hostiliae juncta erat.* Ad comitium erant *rostra.* cf. Matthiae ad Cic. pro l. Man. 1, 1.

scilicet — arbitrabantur A. 4, 35. ubi de libris Cremutii Cordi, accusati *quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset*, haec: *libros per aediles cremandos censuere patres; sed manserunt, occultati et editi. Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt extingui*

super sapientiae professoribus; atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere.

C. 3. Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac

---

posse etiam sequentis aevi memoriam. — *arbitrabantur* non unus Domit. sed plures.

sapientiae professoribus intellige de unis philosophis. Sulpicia de edicto Domitiani:

Nunc igitur, qui res Romanas imperat inter
Et studia et sapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras atque urbe excedere jussit.

occurreret i. e. se praeberet, se monstraret. — Alii supplent: principi, sed male.

inquisitiones significat delatores, *genus hominum publico exitio repertum*, A. 4, 30.

et loquendi audiendique — *que* rem minoris momenti rei graviori et majori sic annectit, ut illa inprimis valeat. v. Ramshorn p. 518. Cic. Acad. 1, 10. *Zeno officia et servata praetermissaque media putabat.* Brut. 88.

memoria de animi indole, qua praeteritorum recordamur, intellige.

C. 3. *et quamquam* Bipp. male *sed;* non enim ubique oratio ad strictas logices regulas conformatur. A. 5, 3. *missaeque in Agrippinam ac Neronem litterae, quas pridem allatas et cohibitas* (Acid. *sed* corrigi volebat) *ab Augusta, credidit vulgus.* v. Ramshorn. p. 523. qui tamen paulo angustius, ac debebat, hunc usum circumscripsit. cf. praeter alios multos praecipue Matthiae Cic. orr. Addenda p. 229.

primo statim ortu novam a Nerva aetatem incipere ait; imperator factus est anno p. C. n. 96.

libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Trajanus; nec spem modo ac votum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit: natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia, quam mala; et, ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo; et invisa primo desidia postremo amatur. Quid? si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptis-

---

felicitatem temporum ita recte Cod. Vat. A. Put. 1. 2. et, qui hos sequuntur, Lips. Pichena, Brotier. Oberl. — Ita postulant sqq., ita, quod praecedit *beatissimi seculi;* non *facilitas* aucta est, sed *felicitas.* Illud originem debet vitio typothetarum; quum enim in ed. Ven. exhibitum esset *falicitatem*, Beroaldus illud transmutavit in *facilitatem.* — Sic etiam Becker.

nec spem modo etc. sub Domitiano Securitas et vota pro securitate frustra in nummis expressa, sub Trajano revera tenebatur. De Zeugmate h. l. v. Walch. melett. cr. p. 13.

quamquam — miscuerit — augeat — assumpserit infra c. 13. *quaterruerit*, raro apud Cic. cum conj.; loca congessit Matthiae ad Cic. pro Mur. §. 20. adde Ellendt ad Brut. 30, 115. — Praeterea grr. Zumptii et Ramshornii, quibus praeivit Günther in Athen. II, 2, p. 264.

lente Vat. A. hac voce omissa habet *nostra*, quod minus placet ob seqq. — Becker utrumque recepit.

Subit quippe Apulej. *desuetudo omnibus pigritiam, pigritia veternum parit.* — cf. ad h. l. Klein. p. 95.

quindecim annos Domit. regnavit ab 81—96.

multi fort. casibus Cod. Vat. A. et edd. vett. *multis;* illud a Lipsio. Ego non concoquo, quomodo aliquis et saevitia principis et casibus fortuitis mori queat.

Promtissimus promtus duabus maxime significationibus invenitur, ut docet Ruhnken. ad Vell. 2, 75, 1., vel 1) adjecto v. *ingenium* Vell. 2, 118. *manu fortis, sensu celer, ultra barbarum*

simus quisque saevitia principis interciderunt? Pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus; exemptis e media vita tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit, vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber, honori Agricolae, soceri mei, destinatus, professione pietatis aut laudatus erit, aut excusatus.

---

promtus ingenio; eoque omisso „etiam nude et simpliciter ad ingenii praestantiam refertur" — Cic. ad Div. 2, 18. *tres fratres, summo loco natos, promtos, non indisertos;* vel 2) *promtus* is dr., qui paratus est ad aliquid audendum. Hoc loco illa signif. valet, ac falsum est ad vv. *promtissimus quisque* supplere *virtute;* praecedit: *ingenia studiaque;* sequitur: *non pigebit vel incondita ac rudi voce.* — Ceterum ex vv. *promt. quisque* supple ad v. *multi* sc. *promti.*

quisque interciderunt Cort. ad Sall. Cat. 37, 6. *quisque*, inq., sua vi notat *quis et quis;* inde per se singularem ferre nequit. — Si autem ille desideratur, ipsa illa voce vulgari consuetudine jam indicatur. Quamobrem, ubi de *multis* sermo, vv. illa, quae vi quisque, absque eo si foret, sing. numero adhaerere potuissent, necessario plurium numero proferenda esse videntur. — *interciderе* i. q. interire. cf. Drakenb. ad Liv. 2, 22.

pauci, ut ita dixerim in codd. Vatt. et edd. vett. legitur: *et uti dixerim*, quod equidem non satis intelligo; desideratur enim aliquid: *pauci*, et uti dixerim, *perpauci s. nulli.*

nostri superst, sumus mortem, non corporis, sed, ut ita dixerim, animi significasse videtur. DR. Mihi audacius loquendi genus *sui superst. esse*, excusandum esse videtur, quod fecit h. l., ut Germ. 2. in vv. *adversus Oceanus.*

per silentium promtissimus enim quisque interfectus est.

non pigebit — composuisse nam praefatio perfecto operi adjecta est. Ceterum etiam in formulis quibusdam inf. perfecti usitatior, quam praesentis. v. Zumpt. §. 80. n. 3.

Cnaeus Julius Agricola, vetere et illustri c. 4
Forojuliensium colonia ortus, utrumque avum
Procuratorem Caesarum habuit, quae equestris
nobilitas est. Pater Julius Graecinus, senatorii
ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus,
iisque ipsis virtutibus iram Caji Caesaris meritus.
Namque M. Silanum accusare jussus, et, quia
abnuerat, interfectus est. Mater Julia Procilla
fuit rarae castitatis: in hujus sinu indulgentia,

---

servitutis Lipsio debetur. In Vat. Cod. et edd. *senectutis*.

C. 4. *Forojuliensium* h. Fréjus. A Julio Caesare condita in Gallia Narbonensi; eadem *Pacensis* et *Classica* dicta, H. 3, 43. Fuit ibi navale Augusti.

procuratarem Caesarum Augustus alias provincias imperatorias, alias senatorias fecit; illis administrandis adhibuit procuratores, qui eodem, quo antea quaestores, munere fungebantur, absente propraetore etiam graviora curabant. Ab his bene discernendi alii, qui praediis imperatorum praeerant, et pecunias familiares (Privat-Schatulle) cogebant; hi iidem qui curatores, rationarii aliis in ll. cf. Creuzer Abriss etc. p. 216. intpp. ad Suet. Claud. 12.

pater Julius e codd. Vatt. et edd. vett. revocavit Dronk. *pater Julii Julius;* sed hic genit. a Tacito alienus est. *Julius Graecinus* Sen. benef. 2, 21. *Si exemplo magni animi opus est, utamur Graecini Julii, viri egregii, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam tyranno expediret.*

sapientiae non de juris scientia loquitur (ut Cic. pro Mur. §. 7. *sapientissimus* intelligendum); sed de philosophia.

iisque ipsis sic Cod. Vat., optime quidem. Recepit etiam Becker.

Silanum haec scriptura melior atque quae in cod. Vat. *Sillanum;* V. Cort. ad Sall. Cat. 50, 4. Iug. 43, 1. Drakenb. ad Liv. 23, 15. Sic etiam Grotefend in gramm. Nobilitate et eloquentia praecelluit A. 3, 24. occisus a Caligula, genero suo, quod interdum ejus vitia *liberius vituperabat*, Suet. Cal. 23.

jussus, et quia — jussus sc. est. Conjunctio exhibetur a Vat. A. Sic c. 7. *nuntio-deprehensus ac statim transgressus est.*

sinu indulgentiaque sensus: diligentissime educatus est. Indulgentia enim etiam bona esse potest.

que educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mistum ac bene compositum. Memoria teneo, solitum narrare, *se prima in juventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset.* Scilicet sublime et erectum inge-

---

integram proprie intactus, purus; de animo: candidus, incorruptus.

quod — habuerit Lips. maluit *habuerat;* Ern. *haberet.* Non agit de toto illo tempore, quo A. Massiliae commorabatur, sed hoc dicit, *habuisse* eum M. sedem studiorum; est igitur Graecorum mor; conjunctivo usus est, quia hoc non ex sua ipsius persona addit. cf. Zumpt §. 78. 7, c. p. 407. Graecus auctor, ut in oratione obliqua, optativum posuisset.

Massiliam colonia a Phocaeensibus in Gallia Narbonensi condita, ex qua in totam hanc Galliae partem humanitas Graecorum profecta est. *locus — mixtus* est enallage, pro: locus, in quo mixtae sunt etc. similiter c. 25. *milites mixti.*

provinciali parsimonia. Plin. epp. 1, 14, 4. *patria est ei Brixia, ex illa nostrâ Italiâ* (Transpadanam int.), *quae multum adhuc verecundiae, frugalitatis atque etiam rusticitatis antiquae retinet ac servat.* A. 3, 55.

prima in juv. e cod. Vat. Vulgo *in pr. j.*

acrius, ultra quam acria studia sunt subtilia, vehementia, interiora v. Gronov. qui laudat Cic. de or. 2, 3. Justin. 12, 16. *Acrius* autem explicatur adjectis *ultra quam.*

Romano ac senatori cf. Garve ad. Cic. off. Libr. 2, ab init. *hausisse* celeritate quadam cogitandi dicit eum fecisse, quod facturus fuisset. — *haurire* est cupide arripere; ardenti quadam fame incitatum quasi devorare, ut H. 3, 2. *cupidius insolitas voluptates hausisse;* ib. 1, 51.

nium pulchritudinem ac speciem magnae exce saeque gloriae vehementius, quam caute appe tebat. Mox mitigavit ratio et aetas: retinuit- que, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

Prima castrorum rudimenta in Britannia c. 5. Suetonio Paullino, diligenti ac moderato duci, approbavit, electus, quem contubernio aestima- ret. Nec Agricola licenter more juvenum, qui

pulchritudinem ac speciem nos brevius: das Ideal. De voc. *species* cf. Passow. ad Germ. 16. infra c. 25.

vehementius quam caute i. e. vehementer in philosophiam incubuisse, at parum caute. Si dixisset: *vehementius quam cautius* hic sensus esset: caute quidem in philosophiam incubuisse, magis tamen, quam caute, vehementer. Haec ratio ubique obtinet; tenendum tamen, Ciceronem in ejusmodi constructionibus praeferre *magis*, quo concinnior fiat orationis numerus, ut de or. I, 42. *si mihi* etc. Tacitus hanc elegantiam parum curat, quia omittit *magis*, ubi necessarium esse videtur A. 4, 61. *claris majoribus quam vetustis*. v. Zumpt §. 84. 8. p. 480. et Passow ad Germ. 6.

modum recte interpretantur de aurea illa Horatii mediocritate; nam vera philosophia unius cujusque rei verum pretium statuere docet; *nil admirari*, ut idem al. l. Becker. ita: non *immodice* A. sapientiae studio se dedit, provocans ad cap. 42. in f. et Ann. 4, 20. Sed verba: *ex sapientia retinere modum*, illam explicationem suadent.

C. 5. *Suet. P.* H. 2, 31. *nemo illa tempestate militaris rei callidior*, et ib. 25. Paullinus rectius binis litteris in medio scribitur. cf. Grotefend in gramm. II. §. 143.

approbavit ita perfecit, ut probarentur. infra 42. *in approbanda excusatione.*

quem cont. aestimaret i. e. penitius exploraret. Bipp. — Estne vero, quod eum, quem cognitum habes, penitius explores? Imo, quod A. studia sua probaverat Paullino, *dignatus est* eum, quem in contubernium assumeret. cf. de hac re Ern. cl. Cic. s. v. *contubernalis.*

Nec A. — retulit conjunge: et A. neque licenter tit. trib. ad voluptt. et comm., neque segniter ad insc. retulit. Adverbia signiff.

militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus, titulum tribunatus et inscitiam retulit; sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in jactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. Trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus: tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit: artem et usum et stimulos addidere juveni, intra-

---

i. q. per licentiam, per segnitiem. Becker. h. l. constr. ita: ad voluptt. et comm. et insc. titulum trib. retulit.

commeatus Donat. ad Ter. Hec. 1, 2, 100. *temporalis abscessus ex aliqua commotatione.* H. 1, 46. *pars manipuli sparsa per commeatus.*

in jactationem c. 18. *nec A. prosperitate rerum in vanitatem usus;* 24. *in spem magis quam ob formidinem. all. jactatione.*

simulque et anxius et int. sic Brot. ex cod. Vat.

exercitatior pro, *exercitior* i. e. magis turbata, vexata. Hor. epod. 9, 31. *Syrtes noto exercitatas* ubi Döring i. e. vexatas. Cic. ad Fam. 4, 5. *in illis rebus* (malis) *exercitatus animus.*

inc. coloniae Camalodunum, Londinium, Verulamium. A. 14, 33.

intercepti optime Bremi ad Nep. Iphicr. 2. explicat; h. l. in universum de cladibus, quibus magnus hostium numerus periit. Tac. l. l. *Victor Britannus fudit legionem et quod peditum interfecit.* Adde iis, quos laudat Br. Duker. ad Flor. 3, 44. coll. 2, 4, 4. al. h. l. *intersepti.*

tum — mox i. q. *tum — tum.* v. de usu h. v. Hess ad Germ. c. 2, 7.

artem et usum simillime Caesar b. g. 2, 20. *his difficultatibus duae res erant subsidio, scientia atque usus militum.* Ne igitur intellige *usum* de imperatoria virtute. — Post *quamquam, quum* simm. innumeris in locis omittitur *tamen*, ut vice versa interdum *etsi*,

vitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala.

Hinc ad capessendos magistratus in Urbem c. 6
digressus, Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi junxit: idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit: vixerunt, que mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo; nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpae est. Sors quaesturae provinciam Asiam, pro-

---

quamquam in anteriori enunciationis parte supplenda sunt. v. Ramshorn p. 689 sq. et Tursellin. s. h. v.

C. 6. *per mutuam caritatem* non h. l. *per* causam significat, sed potius rationem ac modum, quo aliquid fit; habet vim explicativam; v. Zumpt §. 65. p. 250 sq. Verte: *in. Caritas* non is amor est, qui ex alterius aestimatione ac pretio oritur, sed, ut bene Becker. „amor conjugalis sincerissimus integerrimusque, rarus apud Romanos."

nisi quod Ern. correctionem, inquit, sententiae antecedentis in contrarium indicant. — Minime vero. *Nisi quod* confirmant superiora, ita tamen, ut simul vel excipiatur aliquid, vel adjiciatur novum aliquid, quod et ipsum esse statuimus; nos: *nur dass*, sic Germ. 9. *nisi quod signum ipsum docet;* infra. c. 16. in f. interdum: *aber*. Exempla vide ap. Ramshorn p. 593, quorum unum adscribam H. 3, 28. *Hormine id ingenium* (Einfall), *ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim: nisi quod neque Antonius neque Hormus a fama vitaque sua — degeneravere.* — Interdum *nisi* simpliciter i. q. *nisi quod*. Cic. pro Rosc. Am. 35, 99. *Nescio, nisi hoc video;* cf. Schützii lex. Cic. s. v. *nisi*, ac de ironico harum partic. usu Beierum ad off. 1, 33, p. 254. Jam intelliges loci sensum: illud, inquit, adjicio, quoniam in mala femina, *quando matrimonium infelix est*, major esse solet culpa, *eaque ob hanc causam etiam in majorem incurrit vituperationem:* cur non etiam bona, *ob id ipsum, quod felix est per eam matrimonium*, eo majori digna pu-

consulem Salvium Titianum dedit; quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus; et proconsul, in omnem aviditatem pronus, quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia, in subsidium simul et solatium; nam filium ante sublatum brevi amisit. Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis, atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transit; gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor et silentium: nec enim jurisdictio obvenerat. Lu-

---

tetur laude? *) Becker supplet ad ultima vv. *culpae est* sc. marito, alio sensu, nec vero eo, si quid video.

Salvius Titianus fuit filius minor Othonis imperatoris.

parata peccantibus i. e. uberem peccandi facultatem praebens. Infra c. 42. H. 1, 6.

redempt. esset cur non *fulsset?* Etenim cogitat de illo ipso tempore, quum una essent.

in subsid. simul et sol. ante DR. *simul* post *solatium.*

sublatum v. Ruhnken. ad Ter. Andr. 2, 3, 14. Bremi ad Suet. Aug. 5.

atque ipsum etiam sic Vat. A. Vulgo *atque etiam ipsum.*

transit sic e codd. et edd. vett.; antea *transiit*; est i. q. transigit, H. 2, 59. *brevi auditu quamvis magna transibat* (Vitellius); Sall. Cat. 1. ab in.

silentium „in socordia et ignavia, ubi nullam memoriam aut famam virtutis rerumque gestarum per vitam suam produnt, quod tamen soli homines possunt, non bruta, quorum proprie est silentium.“ Corte l. l.

jurisdictio, quae satis negotiosa; erat autem A. ex iis, qui quaestionibus (perpetuis) praeessent; quarum quaestionum genera singula singulis praetoribus sorte quum obtingerent: factum

---

*) Juvat adscripsisse vv. Napoleontis, laudata a censore doctiss. in bibl. crit. (O'meara III. p. 20 vera. germ.) Weiber, wenn sie schlecht sind, sind schlimmer als Männer und begehen leichter Verbrechen. Wenn das sanfte Geschlecht fällt, fällt es tie-

dos et inania honoris, medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda, diligentissima conquisitione fecit,

---

est interdum, ut quietissimam aliquis haberet praeturam. De praetoribus v. Lipsii excurs. ad A. 1, 14. Ern. cl. Cic. s. v. quaestio. *inania honoris* cf. Matthiae gr. gr. §. 442, 4. Poppo ad Thuc. tom. I, pars 1, p. 202. Aurea latt. litterarum aetate poëtis haec loquendi ratio familiaris; deinde ad scriptores transiit; infra c. 10. 12. 37. Nubem exemplorum coëgit Drakenb. ad Liv. 37, 58, 8. — Sub imperatoribus non Aediles tantum, ut antea, sed omnes fere magistratus ludos edebant.

medio rationis etc. recepi hanc cod. Vat. scripturam, (a Beckero etiam receptam); nam Taciti aetate, non ut Ciceronis, haec adjj. semper cum substantivis construuntur, sed ipsa vim substant. habent ex imitatione Graecorum; cf. Zumptii Gr. §. 73. 5. nota; coll. §. 84, 4. Sic h. l. *medio rationis et ab.* ad nostram loquendi rationem explicandum est: medio inter rationem etc.; sic loquitur Noster infra c. 24. *medio inter Britanniam et Hispaniam sita.* (Becker comparat A. 1, 64. *nam medio montium et paludum porrigebatur planities.*) Sic demum, hac scriptura recepta, efficitur sensus, quem omnes intpp. desiderabant et inesse volebant: medium quendam fuisse A.; nec luxuriosum, nec parcum. — Abundantia autem omnino de divitiis et splendore intelligendum; sim. H. 2, 94. *tanquam in summa abundantia pecuniae illudere.* — *Duxit* pro arbitratus est scil. habendos esse, quae ellipsis durior, sed in Tacito ferenda. (Fortasse sic aliquis explicet v. *duxit*: er führte sie hin in der Mitte zwischen etc.; sed vix defendatur.)

dona templorum A. 15, 45. *Inque eam praedam etiam Dii cessere, spoliatis in urbe templis egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis populi Rom. aetas prospere aut in metu sacraverat.* Suet. Nero 32. *in his* (simulacris Deorum) *Penatium Deorum, quae mox Galba restituit.*

---

fer als das andere. Weiber sind immer viel besser oder viel schlechter als Männer. — Putat V. D. Napoleonti Taciti verba obversata esse.

ne cujus alterius sacrilegium respublica, quam Neronis sensisset.

C. 7. Sequens annus gravi vulnere animum domumque ejus afflixit. Nam classis Othoniana, licenter vaga, dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit; praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. Igitur ad sollennia pietatis profectus Agricola nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. Initia principatus ac statum Urbis Mucianus regebat, juvene admodum Domitiano et ex pa-

---

sensisset si legeretur *sentiret*, tantummodo ad praesens tempus respiceretur: diligentissima conquisitione effecit, ne quis tum, quum conquirebat, sentiret; quia autem hoc non esset verum, ac resp. quod tum sentiebat, jam ex longo tempore sensit, necessario plusquampf. ponendum erat. Accuratissime de h. l. agit *Weber*, Uebungsschule etc. p. 131. quem cf.; in eo tantum falsus, quod hanc rem a grammaticis tangi negat. V. Ramshorn p. 402 sq., cujus librum fortasse nondum ad manus habebat.

C. 7. *Classis Othon.* H. 2, 12. 13. *Procurator Albius Matutus provinciae finibus arcere Othonianos intendit. — Irritatus eo proelio Othonis miles vertit iras in municipium Albium Intemelium.*

Intemelios sic Lips.; in ll. *in templo.* Strabo 4, 6, 1. πόλις εὐμεγέθης Ἄλβιον Ἰντεμέλιον καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι. — *Liguriae pars est* sic infra 22. *aestuario nomen est.* cf. DR.

solennia pietatis A. 12, 69. *solenne funeris.* — *deprehensus* überrascht.

affectati imperii H. 2, 79. *initium ferendi ad Vespasianum Imperii Alexandriae coeptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kal. Jul. sacramento ejus legiones adegit.*

initia principatus alio sensu A. 1, 16. *initia Tiberii audita.* Propius Justin. 21, 1. *Inter initia regni.* Hoc dicit, res ab initio a Muciano administratas. cf. H. 4, 12.

juvene admodum Dom. Titus et Domit. filii Vespasiani; hic

terna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam, integreque ac strenue versatum, vicesimae legioni, tarde ad sacramentum transgressae, praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat; nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum, suo an militum ingenio. Ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse.

Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus, c. 8. placidius, quam feroci provincia dignum est. Temperavit Agricola vim suam, ardoremque

---

tum annorum 16; *stupris et adulteriis filium principis agebat* H. 4, 2. Vulgo *admodum juv.* Illud e Vat.

integre quum liberae reip. tempore dilectus (haec enim forma alteri *delectus* praeferenda esse videtur cf. Herzog ad Caes. b. g. 6, 1. Grotefend gr. l. II, §. 150) cum summa cura adeoque religione habiti essent, idque jam bellis civilibus negligentius fieri coeptum esset, negligentissime factum est sub imperatoribus, ubi omnia libidini ac rapacitati dilectus habentium data sunt. Hoc igitur loco *integre* esse debet *sine avaritia.*

vicesimae cui nomen victrix, agebat tum in Britannia. Nomina legionum recenset Lipsius ad H. 2, 43.

decessor Roscius Caelius, legatus illius legionis. H. 1, 60. *Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio; spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio objectabat.*

legatis consularibus hi erant cum imperio in provinciis imperatoriis et majores procuratoribus; *legati praetorii* singulis legionibus, non toti provinciae praeerant; unde hi passim *legati legionum* dicti. cf. Creuzer Abriss etc. p. 210.

nimia l. e. justo potentior. H. 3, 52. *nimius jam Antonius.* Liv. 3, 9. Vell. 2. 32 ibique Ruhnken; adde Duker. ad Florum 3, 15.

C. 8. *Vettius* sic etiam in lap. apud Gruter. al. *Vectius.*

placidius segnius sine dubio in bello cum inferendo tum propulsando.

compescuit, ne increscerēt; peritus obsequi, eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum. Sed primo Cerialis labores modo et discrimina, mox et gloriam communicabat; saepe parti exercitus in experimentum, aliquando majoribus copiis ex eventu praefecit: nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem et ducem, ut minister, fortunam referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat.

C. 9. Revertentem ab legatione legionis D. Vespasianus inter patricios adscivit, ac deinde pro-

---

ne increscerēt sc. Agricola. Brot. ne stomachum moveret legato consulari eum obscurando, ardorem compescuit.

peritus obsequi cf. Ramshorn p. 425. Zumpt §. 80. 5. n. Sic cap. 12. *sueta oriri.*

Pet. Cerialis v. c. 17.

habuerunt virtutes refer cum Ern. ad Agricolam. DR. cf. A. 13, 8. *Videbaturque locus virtutibus patefactus.*

labores modo sic cod. Vat. A. Vulgo *modo labores.*

ex eventu cf. Zumpt §. 65. de simm. formulis et Cort. Sall. Cat. 12. De Graecis Matthiae §. 574.

in praedicando sensu medio intelligendum vel suppl. *se.*

nec extra gl. i. e. nec tamen. v. Passow ad Germ. 45. Sic Caesar b. c. 1, 42. *illi non diu commorati, nec longius ab infimo colle progressi, copias in castra reducunt.*

C. 9. *inter patricios* idem a Caesare factum, partim ut morem antiquum revocaret, partim ut amicis gratificaretur, cf. Suet. 41. Factum etiam ab Augusto, a Claudio, v. A. 11, 25. *Iisdem diebus in numerum patriciorum ascivit Caesar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum et L. Brutus minorum gentium appellaverat.* Formam *ascivit* alteri *adsc.* praeferunt Passow ad Germ. 22. Lindemann in praef. ad sell. carmm. et Grotefend gr. l. II, §. 149.

vinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae imprimis dignitatis administratione ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique, militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis jurisdictio secura et obtusior, ac, plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. Agricolae naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile justeque agebat. Iam vero tempora curarum remissionumque divisa; ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus, et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nullam ultra

---

Aquitaniae patebat ea provincia a montibus Pyrenaeis usque ad flumen Ligerim.

splendidae dign. pendet hic genit. a substant., quod ex verbo *praeposuit* eliciendum est, quasi *quae est praefectura, munus* etc.

subtilitatem deesse adverte animum ad opposita: *secura-manu agens;* (de qua formula cf. Hess ad Germ. 36, 2. *manus* pro vi, bello, armis) *obtusior-calliditatem fori non exercens.*

secura minus anxia, sollicita, *μικρολογοῦσα* GRONOV. *temeraria* BIPP.

togatos in provinciis enim frequens togae usus; est igitur i. q. inter cives; paulo ante miles fuerat.

facile agebat Cic. off. 2, 19. *facile laborantis*, quod explicat *non gravate.*

tempora divisa omnes intpp. male vertunt: er theilte seine Zeit. Est potius: prorsus diversa inter se erant tempora curarum et remissionum, s. Agricola alius erat, quum negotia obiret, alius quum animum remitteret. Virg. A. 2, 216. *divisae arboribus patriae* i. e. non quaevis terra easdem arbores gignit.

ubi conventus in quibus jus dicebatur. Sic teste Plin. epp. 3, 1. in Baetica erant *juridici conventus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis.* cf. Herzog ad Caes. b. g. 1, 53.

nullam — personam Cod. Vat. et edd. Rhen. correxit *nulla — persona*, omnibus probatum. Recentissimus editor ex seq. *exuerat* ad hunc accus. supplet *induit*, laudans c. 38. fin. 44. Germ. 23. fin. H. 1, 8. Quod probo. Sic etiam c. 33. ubi v. Persona h. l.

potestatis personam; tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat. Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre injuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam boni saepe indulgent, ostentanda virtute, aut per artem quaesivit: procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores, et vincere inglorium, et atteri sordidum arbitraba-

---

in universum de munere, quo aliquis fungitur, proprie larva; optime igitur *exuerat*, non enim hi veri ejus mores. Plusquampf. refer ad vv. *ubi satisfactum erat.*

tristitia ut *tristis* de vultu austero, gr. σκύθρωπος et σκυθρωπάζειν. Jis, quos DR. laudat, adde Ruhnken ad Ter. Andr. 5, 11, 16.

arrogantiam ut c. 42. *importuna quaedam vultus majestas* quae decet judicem ac Romanum contra provinciales.

avaritiam intellige de severitate in exigendis tributis ac praestandis omnibus iis, quae provincialibus danda erant. Sic Doederlein. Hanc avaritiam Tac. ipse saepe exagitat. Agricola eam *deminuit* (non *diminuit*, v. Bremi ad Suet. Caes. 5. Herzog ad Caes. b. g. 7, 32.)

integritatem etc. Sic Vell. 2, 45, 5. de Catone: *cujus integritatem laudari nefas est.*

etiam boni saepe sic DR. e cod. Vat. A. Reliqui *etiam saepe b.*

ostentanda virtute male revocavit DR. e cod. Vat. *ostentandam — virtute.* sensus esse debet: er legte sie nicht zur Schau aus. Figura haec (*virtute — per artem*) hyperbaton appellatur; de ea Ramsh. p. 700. et Longol. ad Germ. c. 15. Sic 22. *bonis comis, adversus malos injucundus;* et c. 41.

adversus collegas improprie sic appellat reliquarum Galliae provinciarum praepositos, ut bene Pichena. — Procuratores plur. dicit, quia per illud triennium plures missi.

procul a cont. exemplum v. A. 14, 38. *Julius Classicianus — Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediebat.* infra c. 15.

atteri proprie de vestibus, quae atteruntur. Cort. ad Sall.

tur. Minus triennium in ea legatione detentus, ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama; aliquando et elegit. Consul egregiae tum spei filiam juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit; et statim Britanniae praepositus est, adjecto pontificatus sacerdotio.

Britanniae situm populosque, multis scrip- C. 10.
toribus memoratos, non in comparationem curae ingeniive referam; sed quia tum primum perdomita est. Itaque quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac coelo in Orientem

---

Cat. 16. *famam et pudorem attriverat.* h. l. „de laedendo etiam in minimis rebus" DR. Sordidum Agricolae visum, quod procuratores, qui h. l. intelligendi, fere libertini.

elegit sic codd. et vett. edd. Est aor. graecorum, quem nos vertimus per *solere.* v. Ramshorn p. 401.

egregiae tum spei sperabatur tantum, eam, ut quae nondum nupserat, egregiam matris familias fore. ERN.

adjecto pont. sac. omnia sacerdotum collegia illud Pontificum anteibat dignitate, constans quatuor viris, quibus mox similis numeri data accessio, postmodum etiam a Sylla auctis. Successoris electio penes ipsos fuit, quandoque penes populum, tandem penes Principem. Praeerat Pontifex Maximus. SAVILLJUS.

C. 10. *perdomita* tota domita. A. Caesare initium factum.

Britannia compara Caesar. b. g. 5, 13. qui *triquetram* (Strabo τρίγωνον) appellat, Melam 3, 6, 4. Nostrae geographiae oblivisce re parumper, si Tac. recte vis intelligere.

spatio ac coelo sic codd. Vatt. et edd. vett. Sensus: toti tractui inde ab Hispania usque ad Germaniam e regione tenditur Britannia; *spatium* est Länge, Ausdehnung, laudat DR. Drakenb.

Germaniae, in Occidentem Hispaniae obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inspicitur: Septemtrionalia ejus, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores, oblongae scutulae vel bipenni assimulavere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde in universum fama est transgressa, sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo jam littore terrarum, velut in cuneum, tenuatur. Hanc oram novissimi ma-

---

ad Silium 10, 170. qui comparat Ovid. M. 11, 176. *sed trahit in spatium villisque albentibus implet.* Per zeugma Noster addit *coelo* i. e. indole ac temperie aeris (Klima), qua terris illis Britanniam similem esse ait. Extremis finibus significatis, quo media spectent, ut melius intelligatur, addit: *Gallis in meridiem etiam inspicitur:* quasi dicas sie blicken sogar hinein. Vernaculi intpp. locum non cepere. *Coelum* ut h. l. c. 24. Germ. c. 2, 2. *obtendere* ut Germ. 35. *Chaucorum gens — omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur*, ibique Hess.

Livius liber, in quo de Br. egit, hodie deperditus. *Rusticus* Claudio ac Nerone impp. floruit.

obl. scutulae Ern. bene expl. de ea figura, quae geometris trapezion vocatur. Alii derivant a *scutra*, alii a *scutum.*

assimulavere sic cod. Vat. A. et edd. vett.; alii *assimilavere.* Passow ad Germ. 9 utramque, inquit, scripturam veram, sed pro loci cujusvis natura et ratione eligendum crediderim. Scilicet ubi similitudinis significatio, ibi assimilare; ubi, ut h. l. comparandi significatio praevalet, *assimulare* praeferendum est. v. apud Passow et DR. ad h. l., qui de hac voce egerint; ut h. l. reperitur A. 1, 28. *Id miles — suis laboribus defectionem sideris adsimulans* et 15, 39. *Neronem — cecinisse Trojanum excidium, praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem.*

unde et in universum fama est transgressa sic Rhenanus; in codd. Vatt. *transgressis;* Alc. *transgressus;* Vat, A. *et universum,* in marg. „Al. *universis.* Gronov. tentabat: *unde ea in un. f. e. tr.* Censor doctiss. in ephemm. scholast. *transgressus* probat, sub-

ris tunc primum Romana classis circumvecta, *insulam esse Britanniam* affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas *Orcadas* vocant, invenit domuitque. Dispecta est et *Thyle*, quam hactenus nix et hiems appetebat; sed mare pigrum et grave remigantibus; perhibent,

---

stantivum putans hoc voc. et comparans *auctus* de quo Günther in Athen. l. l. p. 261. ut *fama*, quod et DR. in vulgata visum est, sextus casus sit. Fortasse simplicius ita; quo factum est, ut fama (hanc esse ejus faciem) transgressa sit in universum; s., ut fama illam faciem transtulerit in universum.

tunc primum Taciti his in rebus auctoritas gravior esse debet aliorum scriptorum auctoritate, qui hoc jam sub Claudio factum esse narrant. Sunt adeo, qui hoc sub Tiberio factum tradant; sed ea parum fide digna, licet Ruhnken. ad Vellej. 2, 106 defendat. Sed ut pervenerit ad mare glaciale, non sequitur Britanniam quoque ab eo circumvectam. Hodie istae insulae the Orkney isles audiunt.

dispecta i. e. procul visa Dicitur de catulis, qui quum primum oculis uti incipiunt, *dispicere* dr. v. Ern. clav. Cic. et Bipp.

Thyle sic cod. Vat. A. et edd. vett. all. Thule. cf. Barths Urgesch. p. I, p. 139. Wilhelms Germ. p. 320. Bipp. Islandiam intelligendam esse censent, quibus plurimi intpp. assentiunt.

quam hactenus n. et h. appetebat ita codd. Vatt. et edd. vett., eaque scriptura, etsi difficilior quam Rhen. conjectura, *abdebat* scribentis, textui restituenda est. Recte exponunt VV. DD.: alicujus rei possessionem cupere, s. possidere aliquid: etwas als sein Eigenthum inne haben. Becker. comparat Germ. 22. *apud quos plurimum hiems occupat*, et Ann. 12, 12. *Mesopotamia importuna, quia hiems occupabat.* — *Sed* ut intelligas, supple orationem ita: dispecta est Thyle *et Agr. ad eam fortasse accessisset; sed* etc. — *hactenus* de tempore dictum explicarunt Zumpt gr. p. 244. Meiner partt. latt. p. 157. Cellar. curae poster. de barbarismis p. 404. —

pigrum mare cf. Hess et Dilthey ad Germ. 45. Plin. H. N. 4, 16. *A Thule unius diei navigatione mare concretum, a nonnullis Cronium vocatur.*

ne ventis quidem proinde attolli: credo, quod rariores terrae montesque causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere hujus operis est, ac multi retulere. Unum addiderim: nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec littore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et jugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

C. 11. Caeterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros parum compertum. Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus *Germanicam originem* asseverant: Silurum colo-

---

proinde sic in libris, nam sexcentis locis eodem, quo *perinde* sensu invenitur. cf. Passow ad Germ. 5. Adde Herzog Caes. b. g. 7, 66. et quem in partes vocat Heindorf. ad Cic. de N. D. 2, 38, 96.

nusq. latius dominari non tantum littore tenus, ut in aliis locis, mare accrescit; sed in interiores terrae partes sese insinuat.

multum fluminum ne intellige de fluviis ex terra venientibus; flumina sunt Strömungen, et maris quidem.

et jugis etiam sic DR. e cod. Vat.; antea *etiam jugis atque.*

velut in suo juga et montes non sunt in dominio maris; ea ubi opplet mare, eleganter dr. ibi dominari tanquam in suo. ERN. Comparat DR. Cic. ad Att. 13, 1. *nam quomodo nunc est, pedem ubi ponat in suo, non habet.*

C. 11. *namque* rationem redderet *nam; namque* explicative dictum ut scilicet, nimirum. cf. Ramshorn p. 563. et Weber Uebungssch. p. 3.

rutilae cf. Hess ad Germ. 4. gr. mox ξανθαὶ mox πυῤῥαί.

Silurum colorati vultus de omnibus hoc affirmat Caes. b. g. 5, 14. *omnes vero se Britanni vitro inficiunt.* cf. Herzog.

rati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania *Iberos veteres trajecisse easque sedes habitasse* fidem faciunt: proximi Gallis et similes sunt; seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris, positio coeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti *Gallos vicinam insulam occupasse* credibile est. Eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione: sermo haud multum diversus: in deposcendis periculis eadem audacia, et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido.

---

torti sic omisso *et* cum cod. Vat.

et posita c. Hispania sic jam Muretus; codd. *Hispaniam.*

habitasse cod. Vat. idque propius accedit activo sensu ad usum poetarum, maxime Virgilii; igitur recepi, quod etiam Beckerum fecisse video. Vulgo *occupasse.*

originis vi debetur Rhenano; codd. *usu.*

procurrentibus in div. terris procurrentes in div. terrae non sunt disjunctae ac divisae, sed id ipsum, quod procurrentes inter se terrae. GRON. *Diversus* non raro i. q. adversus. Sil. 1, 264. *atque e diversa socios arcessere ripa*, ubi v. Drakenb.; alia addit Gronov. ad Liv. 22, 7.

in un. aestimanti Germ. 6. *in universum aestimanti, plus penes peditem roboris*, ubi v. quos laudat Hess. Est graeca loquendi ratio, Matth. p. 524.

eorum sacra i. Gallorum, litabat hostiis humanis uterque populus; utrique Druidae. Caes. b. g. 6, 13. De sacris eorum in universum agit Mone Gesch. d. Heidenthums p. I.

superstitionum persuasione sic commate omisso haec vv. praecedentibus annectenda sunt; monstrant enim, qua in re similitudo sacrorum utriusque populi cognoscatur, sic enim explica *deprehendas; persuasione* male Klein. wegen Anhänglichkeit; potius: an der Annahme derselben Gebräuche; „superstitio enim Romanis erat religio externa." DR. Becker confert: H. 5, 5. *eademque cura et de infernis persuasio, coelestium contra.*

in deposcendis Caes. b. g. 3, 19. *nam ut ad bella suscipienda*

Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus: mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate; quod Britannorum olim victis evenit: caeteri manent, quales Galli fuerunt.

C. 12. In pedite robur: quaedam nationes et curru proeliantur. Honestior auriga; clientes propugnant. Olim regibus parebant; nunc per principes factionibus et studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt: rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur. Coelum crebris

---

Gallorum alacer ac promtus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas.

plus ferociae i. q. virtutis, quanquam paulo fortius. v. Bremi ad Nep. Them. 2, 1. Plura index Dukeri ad Flor.

praeferunt usitatius prae se ferunt.

nam Gallos Germ. 28. *Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum Divus Julius tradit*, et quae sqq.

quod Britann. nonnulli *et* interponunt; minus bene.

C. 12. *per principes* in barbaris nationibus principes sunt proceres, optimates, nobiles. Caes. b. g. 2, 1. *a potentioribus atque iis, qui ad conducendos homines facultates habebant vulgo regna occupabantur.* Plures appellationes congessit Hess ad Germ. 11.

factionibus v. Herzog ad Caes. b. g. 6, 11. coll. 1, 31.

rarus — conventus ita c. 19. *primam domum;* 24. *nave prima.*

duabus tribusque sic edd. vett. — Pich. *tribusve.* Saepe *que* pro *ve* poni docet Walch emm. Livv. p. 53. De discrimine utriusque particulae vid. Passow ad Germ. p. 91.

conventus Lips. *consensus.* Oberl. confert Cic. pro Caec. 8. *ex conventu vim fieri oportebat.* Caes. b. g. 2, 18. *tempus inter eos proelii convenerat.* Nos similiter Uebereinkunft.

Ita dum singuli etc. cod. Vat. omisso *dum* habet *ita singuli* etc.

imbribus ac nebulis foedum: asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara, et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. *Quod si nubes non officiant, adspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere et exsurgere, sed transire* affirmant: scilicet extrema et plana terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras; infraque coelum et sidera nox cadit. Solum praeter oleam vitemque et caetera calidioribus terris oriri sueta patiens fru-

---

Recepit Becker. Mihi servandum esse videtur, etiam ob Justinum, qui 8, 1. hunc locum imitatus est: *Graeciae civitates, dum imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt.*

ultra nostri o. jam Caesar *certis*, inquit, *ex aqua mensuris breviores esse quam in continenti, noctes videbamus.* Holmiae longissimus dies fere 19 horas durat; 66°, 33′ integras fere 24 horas; de reliquis vett. scriptorum locis cf. Dilthejum ad Germ. 45. *extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut sidera hebetet.*

transire hoc dicit: in nostris terris sol occidit atque in opposita coeli parte surgit; illis in terris affirmant solem quasi in circulum agi et mare vix ex aliqua parte tangere; immergi negant.

non erigunt tenebras non involvitur coelum ea umbra, quae erigitur i. e. se tollit ex terra, quod tum fit, ubi sol revera occidit. Ideo fit, ut neque stellae conspiciantur, non enim tenebrae coelum ipsum attingunt. Plin. H. N. 2, 10. *neque aliud esse noctem, quam terrae umbram.* Voc. *erigendi* expl. Bessel. in miscell. phill. synt. 12. his locis: Lucret. 5, 1453. *Sic unum quidquid paulatim protrahit aetas In medium, ratioque in luminis erigit auras*, i. e. tollere et in lucis auras producere. Sil. 2, 658. Virg. A. 3, 576. Tac. H. 5, 6. *praecipuum montium Libanum erigit* (Judaea), *mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus.*

oriri sueta cf. c. 8.

patiens fr. fecundum non solum accipit cultum, sed etiam copiosas fruges effert. ERN. Similis compositio Germ. 5, 2. *frugi-*

gum, fecundum; tarde mitescunt, cito proveniunt: eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum coelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam *artem abesse legentibus* arbitrantur; *nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli; in Britannia, prout expulsa sint, colligi.* Ego facilius crediderim, naturam margaritis deesse, quam nobis avaritiam.

C. 13. Ipsi Britanni delectum ac tributa et injuncta imperii munera impigre obeunt, si injuriae absint: has aegre tolerant, jam domiti ut pareant,

---

ferarum arborum impatiens, pecorum fecunda. Male in cod. Vat. interpungitur ita *patiens: frugum fec.*

multus humor etc. multus humor terrae causa est, ut cito proveniant; multus humor coeli, ut tarde mitescant. PICH.

aurum et arg. Strabo 4, 5, 2. φέρει δὲ σῖτον καὶ βοσκήματα καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ σίδηρον. De metallis Caesar tacet.

liventia est hic color plumbo proprius, ideo omnino pro nigricante poni solet. Prop. 4, 2, 13. *prima mihi variat liventibus uva racemis;* eosdem Hor. od. 2, 5, 10. *lividos* appellat, ubi Mitscherlich. cf. — De margaritis idem tradit Plin. H. N. 9, 35. In Br. *parvos atque decolores* (uniones) *nasci certum est.*

in rubro m. omnino Oceanus indicus ac sinus Persicus; v. Plin. 6, 23. 24.

naturam qualitatem vocant in scholis, φύσις, ποιότης φυσική. BOXH. Dicit T.: minus bonas eas esse puto ac nitore illo, quo indicae margaritae splendent, destitutas, quam ut illud mihi persuadeam, avaritiam nostram cessaturam fuisse in illis vivis ac spirantibus avellendis, si essent bonae. Sic pluribus GRON.

C. 13. *imperii munera* rectius appellasset *onera;* de quibus cap. 15. Infra c. 19. *aequalitas munerum* eodem sensu; *munia obire* frequentius apud Tac., quam quod h. l. reperimus; sed alio paullum sensu.

nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum D. Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, et in rempublicam versa principum arma; ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. *Consilium* id D. Augustus vocabat, Tiberius *praeceptum*. Agitasse C. Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis poenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. D. Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque et as-

---

igitur pessime vertunt *daher*. Absolutis iis, quae de soli natura narravit, tanquam ad primarium, ad historiam insulae redit. De hoc usu, quum post digressiones adhibetur orationi continuandae cf. Ramshorn p. 566 et 67 not. e.

D. Julius v. eum b. g. 4, 21. sqq.

mox bella civ. v. ad c. 33.

Tib. praeceptum haec vox e cod. Vat. A. antea *praecipue* sine sensu. Scilicet Augustus in libello, sua manu exarato (A. 1, 11.) sic: *addiderat consilium coercendi intra terminos imperii.* Id Tiberius, simulans Augusti reverentiam, *praeceptum* dixit.

C. Caesarem i. e. Caligulam. Germ. 37. *mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae;* cf. intpp. coll. Sueton. Cal. 43—46.

mobilis poenitentiae sic uterque cod. Vat.; edd. vett. *poenitentia.* Illud defendit Becker. his locis Ann. 15, 23. *Lateranus — animi validus et corpore ingens.* A. 16, 14. *inquies animo et occasionum haud segnis.* H. 1, 53. *corpore ingens, animi immodicus.* — Eadem fere de Caligula. Suet. 51. *summa confidentia et contra nimius metus.*

D. Claudius Suet. 17. Dio 40, 19 sqq. Britanni ipsi Romanos auxilio vocaverant. — *auctor operis* dr., quia, ut bene Bipp. auctor fuerat rei adversus Britannos gerendae et feliciter gestae. — Vellej. 1, 5, 2. *neque quemquam alium, cujus operis primus auctor fuit, in eo perfectissimum praeter Homerum et Archilochum reperiemus.* DR.

sumpto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturae mox fortunae fuit. Domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

C. 14. Consularium primus *Aulus Plautius* praepositus, ac subinde *Ostorius Scapula*, uterque bello egregius, redactaque paullatim in formam provinciae proxima pars Britanniae, addita insuper veteranorum colonia: quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit), ut, vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, haberet instrumenta servitutis et reges. Mox *Didius Gallus* parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium *Veranius* excepit, isque intra annum exstinctus

---

quod initium Vespasianum in partes sumsisse. Nil aliud.

fatis monstr. V. quasi commendatus est famae ac fortunae. ERN. Ego sic: jam tum significatum est a fatis (poet. pro a fato, sic interdum, ut Liv. 1, 7), qualis Vesp. aliquando futurus esset. cf. H. 1, 10. *occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium; post fortunam credidimus. — monstratus* eod. sensu quo A. 12, 63. *Ea ambage Chalcedonii monstrabantur* i. e. significabantur.

C. 14. *Ostorius Scapula* cf. A. 12, 31 — 39.

redacta cf. de hac v., quae scripsit Herzog ad Caes. b. g. 2, 27.

veteranorum col. Camulodunum, h. Colchester. l. l. c. 32.

et reges cum vi in f. collocavit. v. A. 14, 26. 15, 1. H. 2, 81.

Did. Gallus A. 12, 40. *D., senectute gravis et multa copia honorum, per ministros agere et arcere hostem satis habebat.*

aucti off. officium erat *parta a prioribus* tueri; nova acquirens *augebat officium*.

Veranius A. 14, 29. V. *modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est.*

est. *Suetonius* hinc *Paullinus* biennio prosperas res habuit, subactis nationibus, firmatisque praesidiis: quorum fiducia Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem aggressus, terga occasioni patefecit.

Namque absentia Legati remoto metu, Bri- C. 15.
tanni agitare inter se mala servitutis, conferre injurias, et interpretando accendere; *nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur: singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi; e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret: aeque discordiam praepositorum, aeque concordi-*

Paullinus de ejus expeditione adversus Monam (h. Anglesey) A. 14, 29.

vires ex Rhen. correctione; edd. vett. *viros*, quod habet etiam Vat. A. sed angustius esse videtur. Nec de copiis tantum cogitandum est. Idem retinet Becker, qui apte comparat A. 14, 29. 30. quae capp. lege.

C. 15. *ex facili* i. e. facile. v. Matthiae gr. gr. §. 574. Sic Tac. *ex commodo*, ex affluenti, ex diverso. cf. Tursell. p. 246.

e quibus — saeviret Ern. malebat *legatos — saevire*, nec tamen offendit in simillimo loco Off. 3, 11. *Aristidi Themistocles: classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse: quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset*, ubi vidd. Gernhard. et Beier. Quid intersit inter infin. et conj. in ejusmodi constructt. egregie docet Ramshorn p. 617. — A DR. laudatis adde Ellendt ad Cic. Brut. 52, 196.

procurator in bona, exemplum vide A. 14, 32. *Qua clade et odiis provinciae, quam avaritia in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam profugit.*

aeque disc. — aeque concord. Hor. epp. 1, 1, 25. *id quod aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque.* Docet Brüggemann. ad h. l. Latinos habere has compositiones: *aeque — ; aeque — et (aeque — que) aeque — cum; aeque ac; aeque ut; aeque — quam; aeque — sq. ablat.; aeque — aeque;* et hoc quidem (aeque — aeque) elliptice dictum putat: aeque concordiam praeposs. atque discor-

am subjectis exitiosam. Alterius centuriones, alterius servos, vim et contumelias miscere. Nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum: in proelio fortiorem esse, qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, injungi delectus, tamquam mori tantum pro patria nescientibus: quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? Sic Germanias excussisse jugum; et flumine, non Oceano, defendi: sibi patriam, conjuges, parentes; illis avaritiam et luxuriam causas

---

diam; aeque disc. pr. atque conc. subjectis exitiosam esse. Est haec ratio artificiosior, quam ut mihi probetur. Mihi ita videtur: ubi duae res inter se comparantur, ibi *aeque — ac;* ubi duo, absque comparatione, ut prorsus paria ponuntur, ibi *aeque — aeque.* Vernacule dic: auf gleiche Weise.

alterius manus, centuriones alterius, vim etc. sic, interpunctione mutata, Gronov. locum constituit. „Manus sunt Procuratoris, et centuriones intellige simul milites, qui formidabiliores etiam Legati manus) Legati. Per *manus* intelliguntur et servi Procuratoris et alia cohors ejus. Cic. in Verr. 2, 10. *Comites illi tui delecti manus erant tuae; praefecti, scribae, medici, accensi, haruspices, praecones manus erant tuae. — cohors illa tota tua — tua manus sine controversia fuit.* — Quod DR. e cod. Vat. A. recepit: *Alterius manus, centurionis alterius servos,* etc. non magis intelligo, quam ejus explicationem horum vv. Ego habeo *servos* pro glossemate ad *manus.* Becker. sic: *alterius centuriones, alterius servos* ob Ann. 14, 31. ubi haec vv. leguntur: *adeo ut regnum per Centuriones, domus per servos velut capta vastarentur.*

quantulum uterque cod. Vat. — Vulgo *quantum,* eodem sensu, pro quam pauci. v. Burmann ad Lucan. 3, 392. *quantum est, quod fata tenentur.* Sic *tantus* pro tantillus, tam exiguus. Cic. pro leg. Man. 6, 14. *nam ceterarum provinciarum vectigalia tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus;* ubi Matthiae cf.

Germanias superior enim et inferior; atque cisrhenana et transrhenana; h. l. clades Variana significatur.

belli esse; recessuros, ut D. Julius recessisset, modo virtutem majorum suorum aemularentur. Neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent; plus impetus, majorem constantiam penes miseros esse: jam Britannorum etiam Deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; jam ipsos quod difficillimum fuerit, deliberare. Porro in ejusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quam audere.

His atque talibus invicem instincti, Boadi- C. 16.
cea, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum: ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis, ipsam coloniam invasere ut sedem servitutis. Nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paullinus, cognito provinciae motu, prope-

---

Divus Julius saepe ita in simm. hostes loquuntur.

virtutem Cod. Vat. Vulgo virtutes.

plus impetus in miseris plus impetus est propter desperationem, sed et plus constantiae, quia nullum amplius refugium.

relegatum cum contemtu pro amandatum, missum.

jam ipsos — audere H. 2, 77. *nam qui deliberant, desciverunt,* quem l. laudat Beier ad off. 3, 8, 37

C. 16. *invicem* subtilius quam verius de h. v. agit Herzog ad Caes. b. g. 2, 26.

instincti i. e. excitati atque diviniore quasi furore afflati; sic c. 35. dial. de or. 14. *Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus* etc. De re cf. A. 14, 31.

Boadicea haec scriptura vulg. est. Libri vel *Voadicca*, vel Voaduca, vel gr. *Βουδουϊκα*. cf. l. l. Fuit uxor Pratusagi, Iberorum regis.

sumpsere bellum et poëtae, et scriptores passim ita loquuntur; ut Liv. 36, 2. *duellum sumere*, 37, 10. *certamen;* Sall. Jug. 20,

re subvenisset, amissa Britannia foret: quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat. Hic quum egregius caetera, arroganter in deditos, et ut suae quoque injuriae ultor, durius consuleret: missus *Petronius Turpilianus*, tamquam exorabilior. Et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior, compositis prioribus, nihil ultra ausus, *Trebellio Maximo* provinciam tradidit. Trebellius segnior, et nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi provin-

---

5. *prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum sumere* ibique Corte. Tac. A. 2, 45. 13, 54. et Duker ad Flor. 4, 12, 24. Graeci τὸν πόλεμον ἄρασθαι.

propius sic codd. et edd. vett.; *proprius* nil nisi error typothetarum in ed. Rhen.; illud est h. l. i. q. magis, majori sollicitudine; nam *propiora* exquisite ea dicuntur, quae magis ad nos pertinent, adeoque magis nos sollicitant; Ov. M. 13, 578. *cura Deam propior, luctusque domesticus angit.* ERN. Cic. pro Sext. 18. *sua sibi propiora pericula esse, quam mea, loquebantur.*

ut—ultor hoc *ut*, *tanquam* etc. tum adjiciuntur, ubi ejusmodi praedicatum, quod non in re ipsa inest, alicui vel rei vel personae tribuitur.

durius consuleret pr. consulere est i. q. consultare; 2., quoniam in consultando opus est judicio, i. q. judicare; ideo 3., per metonymiam animadvertere in al., punire. Liv. 30, 43. *de perfugis gravius, quam de fugitivis consultum;* 45; 8. *in secundis rebus nihil in quenquam superbe ac violenter consulere decet.*

Petr. Turpil. A. 14, 39. *is non irritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen segni otio imposuit.*

Treb. Max. H. 1, 60. *Praeerat Tr. M., per avaritiam ac sordes contemtus exercitui invisusque.*

castrorum experimm. i. e. rei militaris parum gnarus. Bene igitur opp. *comitas curandi*, quae in rebus civilibus obeundis cernitur; e. g. A. 4, 6, *curare Asiam* de proconsule; ib. 11, 22. *qui Romae curarent* (quaestores.)

ciam tenuit. Didicere jam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus: et interventus civilium armorum praebuit justam segnitiae excusationem; sed discordia laboratum, quum assuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecoris atque humilis precario mox praefuit, ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem, haec seditio sine sanguine stetit. Nec *Vettius Bolanus*, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina. Eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum: nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis.

Sed ubi cum caetero orbe Vespasianus etc. 17.

---

didicere — vitiis sic sublatis interpunctionibus Bruggem., quod simplicissimum esse videtur.

et interventus etc. sub Othone, Galba, Vitellio a. 69 p. C.

indecoris Vat. A. Vulgo *indecorus;* illa est poët. forma, a Virgilio frequentata. Recte recepit B.

precario Germ. 44. *precario jure.* A. 1, 42. *animam precariam trahere;* H. 4, 16. *precaria vita.* Opponitur h. v. interdum *proprius*, de qua re cf. Bremi ad Nep. Lys. 1, 5.

ac velut pacti Brot. supplet *sint*, majori post v. *salutem* interpunctione posita; alii supplent *essent*, et *velut* exponunt *velut si;* hoc rectissime; cap. 1. *ni incusaturus* sc. essem.

haec seditio Vat. A. *et seditio* contra sensum h. l.

stetit saepius ita in formulis *magni, pluris stare.* A. 3, 75. *stetit intra unum damnum vis illa.*

Vettius H. 2, 65. 79. A. 15, 3.

agitavit Br. disc. armis eam subegit et fines longius protulit.

eadem inertia alia de eo Statius canit, Sylv. 3, 2, 53. *aliis Decii reducesque Camilli Monstrentur; tu disce patrem quantusque nigrantem Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen Intravit mandata gerens;* coll. v. 142. Haec adulatorem sapiunt.

Britanniam recuperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit *Petilius Cerialis*, Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, aggressus: multa proelia, et aliquando non incruenta: magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et quum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem *Julius Frontinus*, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorumque difficultates eluctatus.

C. 18. Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media jam aestate transgressus Agricola invenit, quum et milites, velut omissa expeditione, ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur.

C. 17. *Brigantum* potentissimus populus, cujus sedes late patebant; praecipuae eorum urbes erant: Eboracum, Lugovallum, Cataractonium.

vict. a. est aut bello alias partes revera in potestatem redegit; alias invasit, quas et ipsas devinceret. *Est* cod. Vat. debetur.

Cer. quidem posterior vox ERN. offensioni est. Respondet Graeco γέ, et nil nisi majorem vim s. sonum addit praecedenti vocabulo: und obschon ein *Cerialis* etc.

obruisset oppressisset et obscurasset. v. Schützii lex. Cic. et Menken. obss. p. 677.

quantum licebat spectant haec ad proxime praecedentia. Sub Vespasiano nulla jam invidia ac tantus erat F., quantum fieri eum per Cerialis facta licebat.

locorumque diff. sic recte DR. revocavit. Rhen. correxerat *locorum quoque.* Est mutata constr.: *supra virtutem hostium* i. e. et virtutem hostium locorumque etc. *Super* sexcenties pro *praeter.* H. 3, 59. *nives eluctatus.*

C. 18. *verterentur* Cod. Vat. A. *uterentur*, quod DR. in notis

Ordovicum civitas haud multo ante adventum ejus alam in finibus suis agentem, prope universam obtriverat: eoque initio erecta provincia; et quibus bellum volentibus erat probare exemplum ac recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quamquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit;

---

praefert. Ut sic construamus, vetat adjectum *velut*. Verti ad occasionem est τρέπεσθαι πρὸς καιρόν i. e. videre et exspectare, quando occasio rei gerendae detur. Sic *occasio* in f. c. 14. et exemplum ipse addit Tac.

Ordovicum civitas e regione Monae insulae.

alam — agentem H. 1, 74. *easque, quae Lugduni agebant, copias — misit.* A. 2, 17. *Chauci, inter auxilia Romm. agentes.* Et sic saepius hoc voc. absolute reperitur.

erecta prov. A. 14, 57. *erectae provinciae nomine dictatorio.*

et quibus construendus hic plur. cum nom. collectivo *provincia*. Est graeca constructio, quae in his attractionem amat; v. Matthiae gr. gr. §. 391. qui praeter nostrum locum comparat Sall. Jug. 100. *uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset*, ut Plat. Gorg. p. 7. εἰ αὐτῷ γέ σοι βουλομένῳ ἐστὶν ὑποκρίνεσθαι. Noster H. 3, 43. *Maturo ceterisque remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus erat.* Plura praebet Ramshorn. p. 481.

ac recentis Rhen. correxerat *aut*.

transvecta rarius ita, ut A. 2, 76. *abiit et transvectum est tempus.* Vulgo ex Rhen. correctione: *transacta*.

sparsi — numeri i. e. cohortes. Saepe ita hac aetate. Plin. epp. 10, 38. *sacramento militari nondum distributi in numeros erant.* Suet. Vesp. 6. *revocatis ad officium numeris.*

praesumpta scil. animo et cogitatione. — *tarda* activo sensu.

potius videbatur non est adverb. sed neutrum comparativi pro gravius, melius quid; *potior* saepe hoc sensu, ut *sententia* et simm.

contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum digredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo caeteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. Caesaque prope universa gente (non ignarus, instandum famae, ac, prout prima cessissent, terrorem caeteris fore, Monam insulam, cujus possessione revocatum Paullinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant: ratio et constantia ducis trans-

---

legionum vexillis ne intellige de veteranis; sunt eae legionum partes, quae seorsim sub vexillis (aquila erat totius legionis) agebant. cf. dissertatiunculam in f. adjectam.

digredi sic cod. Vat. Wopkens. vel ibi servandum censet *digredi*, ubi de descendendo dicitur. cf. Ellendt ad Brut. p. 63. Ac sane leges cogitandi non obstant; nam descendentes ab eo, quo eramus loco, separamur et in alium nos conferimus. Etiam c. 37. hanc scripturam omnes libri tuentur.

erexit aciem arduum montem versus duxit, ut Liv. 1, 27. *Inde, ubi satis subisse sese ratus est, erigit totam aciem*, coll. 3, 18. Tac. H. 4, 71. *aciem in collem* ut infra 36.

terrorem caeteris fore Vat. A. *terrorem caet. f. universa;* vulgo: *fore universa.* Vix casu illatum dicat aliquis voc. *terrorem;* hoc igitur retento, voc. *universa*, quod paulo ante legitur, cum Beckero ejeci.

cujus possessione i. e. a qua sub potestatem redigenda, occupanda; sic pluribus Gronov. ad Ann. 2, 5., sive, ut Oberl., possessio, inquit, vel actio τοῦ κτᾶσθαι i. e. occupandi; vel status et conditio τοῦ κεκτῆσθαι i. e. possidendi. — Bipp. addiderant his vv. praepos. a, quod necesse non esse docet Ramsh. p. 688. not. y. Activo sensu etiam *possidere* haud raro ut Caes. b. g. 4, 7. Liv. 31, 31. Tac. H. 3, 8. *Possessa ipso transitu Vicetia.*

supra c. 14 et 16.

animo intendit saepius *animum int.;* simpliciter etiam intendere Drakenb. ad Liv. 1, 25, 2.

ut in dubiis quum proficisceretur ad Ordovices, cogitabat etiam

vexit. Depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola, prosperitate rerum in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est. Sed

---

de Mona insula. Jam quum victi essent (quod certo praevidere non potuerat) naves deerant.

lectissimos videtur significare Batavos. H. 4, 12: *erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens*, ubi Lips. cf. — Becker. intelligit ipsos Britannos, ob vv. *quibus nota vada.* Recte. De re cf. Ann. 14, 29.

seque et arma et equos sic Livius saepissime *que et* pro et — et; v. quos in hanc rem laudet Passow. ad Germ. 46.

qui mare exspectabant qui ipsum mare pro muro ipsis fore atque accessu prohibiturum Romanos putaverant. GRON. Est haec brevitas vix laudanda.

invictum i. e. quod vinci non possit; gr. ἀνίκητος sic vertit, quod act. et pass. signif. habet. Sic *illaudatus, immotus* pro illaudabilis etc. cf. Ruddim. institt. II, p. 374. Sall. Jug. 76, 1. *Sed rex nihil jam infectum Metello credens* eodem brevitatis studio, quo noster. V. Cort. ad h. l.

per ostent. i. e. vanam illam, quae in salutationibus dandis et accipiendis cernitur. Eodem spectat *officiorum ambitus;* off. enim Romanis dicebatur, „quicquid honoris vel studii et operae, vel patronis a clientibus salutando, deducendo, sectando, occurrendo etc. vel amicis et cognatis, solenni aliqua occasione, praestabatur.“ v. Ruperti ad Juv. Sat. 2, 132. Plin. epp. 1, 9.

laureatis sc. litteris. H. 3, 77. Ipse (Vitellii frater) *lauream*

ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

C. 19. Caeterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena exempla, parum profici armis, si injuriae sequerentur, causas bellorum statuit excidere. A se suisque orsus primam domum suam coërcuit; quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere. Nihil per libertos servosque publicae rei: non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed opti-

---

prospere gestae rei ad fratrem misit. Liv. 5, 28. 45, 1. Plin. H. N. 15, 36. *Laurus Romanis praecipuae laetitiae victoriarumque nuncia additur litteris et militum lanceis pilisque.*

C. 19. *exempla* sic Vat. Vulgo *experimenta* (quod Vat. in marg.) ad quod expl. comparat DR. A. 12, 14. *quia experimentis cognitum est, barbaros malle Roma petere reges, quam habere.* Dial. 34. *eruditus et assuefactus alienis experimentis.* Sed etiam illud bonum.

causas belli quae sint, sqq. docent.

excidere tropus ductus a radicibus; hae autem *excidi* potius dicuntur, quam *excindi* (quod v. Lips. malebat) ERN, cf. Gernhard ad Cic. de sen. 6, 18.

primam sic edd. vett.; all. *primum*, minus eleganter.

Nil per servos certum aliquod verbum scriptori, ut ita dicam, non suffecit ad ea exprimenda, quae his vv. includi volebat; nullum igitur posuit. Hoc mihi fortius videtur, quam explicare h. l. cum Ramshorn. p. 712 per synezeugmenon. Censor doctiss. in ephemm. scholl. hanc viam init: puncto posito post *provinciam* supplet ex antecedd. coercere; et pro *regere* scribit *agere*. Vulgo sic: *provinciam regere. Agere* etc. ex conj. VV. DD.

milites ascire (Cod. Vat. *nescire*) vulgo putabatur, Tac. loqui h. l. vel de ministris s. accensis (hi qui fuerint, disces ex Ascon. ad Cic. Verr. 2, 28. collata ibi Graevii nota), vel de comitibus. Neutrum, ut Walchius, Vir de Tacito meritissimus, evicit in melett. critt. quorum summam hic subjeci: Fuerunt enim, ut monstrat ex duobus apud Nonium (vv. *legio* et *optio*) locis, in castris milites, nondum in legiones recepti, „*qui referentibus cen-*

mum quemque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse: officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare, quum peccassent. Frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis, quae in quae-

---

turionibus adoptati in cohortes subibant, ut semper plenae essent legiones" appellati illi *adscriptivi* s. *supervacanei*, apud Veget. 2, 19. *supernumerarii*, et enitentes ad honoratius militiae genus. Cavebat igitur Agr., ex istis ne qui in legionarios commendatione assumerentur; sed quos ipse nosset bonos ac laboris patientes, eos putabat fidelissimos. Hoc nomine saepe milites compellantur, infra 34. *fide atque opera vestra*. Liv. 22, 47. de Hispanorum militibus: *opera eorum forti ac fideli persaepe resp. usa est*. In inscriptt. *legiones* saepe appellantur *fideles*. Sic cautum est, quod sequioribus temporibus accidit: *legionum nomen in exercitu permanet hodieque, sed per negligentiam superiorum temporum robur infractum est, quum virtutis praemia occuparet ambitio, et per gratiam promoverentur milites, qui promoveri consueverant per laborem*. Veget. 3, 50. Cod. Vat. *fidissimum* pro *fidelissimum*, quod non cum Beckero recipiendum duco.

exsequi Lips. explicat: *punire, ulcisci;* Scheffer *examinare;* Ern. *dissimulando praetermittere*, quorum nullum falsum; nunc fortius, nunc lenius. Suet. Jul. 67. Vesp 14. Cal. 12.

nec poena semper sc. uti; per zeugma ex sqq. intelligendum.

praeponere ex cod. Vat. insertum est.

exactionem Vat. A. legit: *tributorum auctionem in aequalitatem munerum;* in marg. *exactionem*, quod Vat. B, in textu habet; rell. *auctionem*, quod sic tuentur, quod a Vespasiano tributa recens aucta sint. Suet. Vesp. 16. Dio 66, 8. Sqq. mihi *exactionem* postulare videntur; ea enim molliri potest. Eadem h. v. discrepantia A. 13, 51. *manet tamen abolitio quadragesimae quinquagesimaeque, et quae alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant* quo loco vett. edd. *ex auctionibus*; lib. Budensis *exauctionibus;* utrumque sine sensu. cf. intpp. Becker. h. l. sic constituit: *Fr. et tributorum auctionem et inaequalitatem munerum mollire*, sed *in* et *m* facillime oriri poterant ex similitudine reliquarum litterarum.

stum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac vendere pretio cogebantur. Divortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat paucis lucrosum fieret.

C. 20. Haec primo statim anno comprimendo, egre-

---

per ludibrium in provinciis triplex ex agris tributum dandum erat: frumentum *decumanum* (s. stipendiarium), *emtum*, *aestimatum*, vel ut Cic. dicit Verr. II, 2. *frumentum quod debetur*, *quod opus est*, *quod imperatur*, Ascon.: canonis, oblationis, indictionis. — *Emtum* id, quod certo pretio, a procuratoribus praescripto, aratoribus vendendum; aestimatum, quod procuratori provinciae ad privatos usus praebendum erat, pro quo libenter pecunia dabatur, ne esset advehendum. His institutis avari magistratus in perniciem provincialium utebantur. Primum claudebantur horrea, privata quidem provincialium, qua re impediebantur Britanni ipsorum frumentis uti, priusquam cum publicanis, pro decuma saepe dimidias partes flagitantibus, pacti essent; jam, quum nihil ipsis, unde viverent, relictum esset, cogebantur *ultro* (quasi non coacti essent) emere; tum tertia haec incredibilis accedebat injuria, ut cogerentur denuo vendere, *pretio* quidem, i. e. eo pretio, quod a procuratore constitutum erat.

divortia Cic. Verr. III, 82. *avari magistratus instituerunt semper ad ultima ac difficillima apportandum loca imperare, ut vecturae difficultate, ad quam vellent, aestimationem pervenirent.* — Drakenb. ad Liv. 1, 51, 8. semper, inquit, devertere dicendum est, si notat a via ordinaria deflectere vel hospitium subire. Sic fere Schaefer ad Plin. epp. 1, 4, 3. h. l. *divortia* fortius mihi videtur; sic Cod. Vat. A. et edd. vett.

donec — fieret frumentum omnibus et incolis et militibus in promtu erat ibi, ubi messes, ubi horrea aratorum, unde vero per ludibrium in remota transferre jubebantur suo damno, praefectorum aut publicanorum lucro. OBERL. *donec* — c. conj.; egit accurate de hujus partic. constructione Censor. doct. in ephemm. Jenn. 1825. p. 267. v. Hess. ad Germ. 2. Ramshorn. p. 574.

C. 20. *famam paci circumdedit* H. 4, 11. *erantque in civitate*

giam famam paci circumdedit; quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus, quam bellum timebatur. Sed ubi aestas advenit, contracto exercitu, multus in agmine, laudare modestiam, disjectos coërcere: loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetentare: et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur: atque, ubi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus,

---

adhuc turbida et novis sermonibus laeta, qui principatus inanem ei famam circumdarent. coll, dial. 37. DR.

vel inc. vel intol. hoc revocavit DR.; inde a Rhen. *tolerantia.* Petit auctor homines superbos insolentesque. Cic. pr. Cluent. 40. *quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset?* Agrar. II, 13. *intolerantia regis.* In universum de his substantt. in — *ntia* formis v. Athen. II, 2, p. 272. Becker laudat insuper Ann. 3, 45. et 11, 10. Suet. Tib. 61, 13. Gell. 19, 7.

multus in agmine sic Brot. ex codd.; alii *multum*, all. *militum;* dictum est ut *nullus*, *rarus*, alia id genus; Ramshorn. p. 668. infra 37 *frequens ubique Agr.* Adi Duker. ad Flor. 4, 2, 50. et Matth. gr. gr. §. 554. coll. 446.

disjectos v. quos laudet Herzog ad Caes. b. g. 8, 3. coll. capp. 7 et 10 ib. i. q. dispersi, palantes.

praetentare al. et Cod. Vat. *praetemptare.*

quominus — popularetur i. hostis agrum s. castra Romana. DR. Klein. et Censor in ephemm. scholl. *populari* passivo sensu intelligi malunt. Illud non improbaverim, facillime enim singularis suppletur.

irritamenta ea, quibus ad pacem irritantur, ejus cupidi reddunturur. Ovidii illud notum: *irritamenta malorum.* ERN. Bipp. comparant Liv. 30, 11. Quint. 1, 1, 26. et DR. laudat Drakenb. ad Liv. 1, 15. Bono maloque sensu dr.

ex aequo egerant i. e. imperium detrectaverant. OBERL. in ind. Habet haec formula perquam diversas significationes, quarum praecipuas breviter recensebo. *Aequus* proprie de loco dr.

iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae, tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit.

---

et est 1) i. q. planus; Cic. Caecin. 17. *locus planus et aequus*. Liv. 22, 14. *Camillus, quum esset satis altum Janiculum, ubi sedens prospecturet hostem, descendit in aequum*; hoc sensu etiam *summus mons* appellatur *aequus*, comparatus cum ascensu difficili et arduo. Tac. A. 2, 80. *non ultra dubitatum, quam dum Romanae cohortes in aequum eniterentur.* 2) *metaphorice*, quod attinet ad locum, s. genus, statum, conditionem; est a) i. q. *aequalis*; hoc sensu in *aequo* legitur H. 2, 20. *Uxorem quoque ejus* (Caecinae) *Saloniam — tanquam laesi gravabantur; insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere, modumque fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo videre* die sie als Ihresgleichen gekannt haben. A. 12, 12. *industrios aut ignavos pax in aequo tenet.* 3) *aequus* i. e. consentiens cum lege et jure; *ex aequo* igitur i. q. juste; Liv. 39, 39. *si societas et amicitia ex aequo observatur.* 4) *aequus* pertinet ad similitudinem et dissimilitudinem a) eam, quae alicui rei cum alia quadam intercedit; Liv. ib. 47. *quam non ex aequo disceptatum apud Caecilium foret* wie die Entscheidung ganz anders ausfallen würde; coll. c. 36. *terror iis injectus erat et cogitabant, quam non ex aequo disceptatio futura esset, quum viderent* [damnatos] *cum legatis*. b) eam, quae alicui vel rei vel personae secum ipsa est, adjuncta interdum temporis notione; sic h. l. interpretandus, cui simillimus II, 4, 6. *sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis* [i. e. liberi ac vestri, ut antea fuit, juris eritis] *aut aliis imperabilis.* Liv. 7, 30. *qui ex aequo nos venisse in amicitiam meminissemus:* i. e. nos nunquam aliis paruisse ac semper nostri, non aliorum (ut subactis populis accidit) similes fuisse.

circumdatae, — *ut* — *transierit* jam Walchius et Susius *ut* pro *sicut* intelligendum esse viderunt, quanquam nonnulla corrigentes. At ne hoc quidem necesse est. Est enim constructio πρὸς τὸ νοούμενον. Volebat enim auctor sic dicere: et circumdatae sc. ita transierunt, ut etc. Interpositis autem in medio illis: *tanta ratione curaque* constructio turbata est, quod eo facilius fieri poterat, quoniam in voc. *tantus* inest notio particulae *ita*. — Sensus est; paruisse has nationes, nullo decutiendi jugi periculo facto. Etenim Britanni Romanos, si quid occuparant, lacesse-

Sequens hiems saluberrimis consiliis ab- C. 21.
sumpta. Namque, ut homines dispersi ac rudes eoque bello faciles quieti et otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adjuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos, et castigando segnes. Ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Jam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor, et frequens toga; paullatimque discessum ad delenimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam: idque apud im-

---

bant, ut, quod statim addit, c. 22. *damna aestatis hibernis eventis pensarent.*

C. 21. *bello faciles* in codd. Vatt. et edd. vett. *in bello* reperitur; sed in latinis scriptoribus nullum hujus constructionis exemplum hoc quidem, qui hic esse debet, sensu exstat; igitur scrib. est vel *bello*, quod feci, vel *in bella*. Sic etiam oppositio postulat.

quieti et otio infra 40. *tranquillitatem et otium penitus auxit*, ubi v. nott. Cic. de sen. 23, 82. *otiosa aetas et quieta* quod ipse explicat *sine ullo labore et contentione*. *Quies* pertinet ad externum statum; *otium* ad singulos, quibus vacabat.

qui abnuebant est pro participio; hoc sensu conj., quem Ern. malebat falsus est.

nostri honor i. populi Romani. *Nostrum* semper ad singulos pertinet. Zumpt §. 73. 3. 2.

discessum admodum graphice. *Virtus* una est; *Vitia* admodum varia, in quae pro sua quisque natura *discesserunt*.

delenimenta de scriptura (al. *delin.*) Ruperti ad Liv. 4, 57. gr. θέλγητρον, θέλγμα. h. l. res, quibus animi hominum blande vitiis capiuntur. Alio sensu legitur A. 15, 63. *Vitae delenimenta monstraveram tibi.*

peritos *humanitas* vocabatur, quum pars servitutis esset.

C. 22. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Taum (aestuario nomen est) nationibus. Qua formidine territi hostes quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi; ponendisque insuper castellis spatium fuit. Annotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum. Crebrae eruptiones: nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, irritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare tum aestate atque hieme juxta pellebantur. Nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio, seu

---

humanitas Caes. b. g. 1, 1. *cultum humanitatemque* conjungit, ubi vid. Herzog. Artibus et litteris dediscebant bellum; sic ferocia emollita.

C. 22. *gentes aperuit* i. e. accessum ad eos. Germ. 1. *nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit*, ubi v. intpp.

vastatis gentibus A. 14, 38. *quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur.* Plura praebent indd.

Taum h. firth of Tay. Ptol. Ταοῦα. cf. Arzt ad h. l.

annuae copiae i. de frumento et commeatu. Caes. b. g. 1, 31. *copiae Gallorum*, ibique Herzog.

irritis hostibus i. e. nil efficientibus. A. 1, 59. *irritum discedere* i. q. rebus infectis redire. H. 4, 32. *ille, ut irritus legationis, rediit.*

avidus intercepit, ποιητικώτερον additum est avidus i. q. per aviditatem laudis et gloriae. ERN. v. Zumpt §. 84. B. 1.

praefectus incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur; ut erat comis bonis, ita adversus malos injucundus. Caeterum ex iracundia nihil supererat: secretum ut silentium ejus non timeres: honestius putabat offendere, quam odisse.

Quarta aestas obtinendis, quae percurrerat, C. 23. insumpta; ac, si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Nam Clota et Bodotria, diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur: quod tum praesidiis firmabatur, atque omnis propior sinus

---

ut erat DR. Rhen. omiserat *erat*.

injucundus Cic. ad Att. 1, 20. *asperius atque injucundius*. ERN. Molliendi causa hoc v. usus est, pro *durus*. De structura verborum v. ad cap. 9. ut c. 41. *temeritate aut per ignaviam*.

secretum ut sil. cod. Vat. vulgo *et*.

timeres v. de hoc usu Ramshorn p. 586. H. 2, 62. *Nec ultra in defectores aut in bona cujusquam saevitum a Vitellio; prorsus, si luxuriae temperaret, avaritiam non timeres*.

C. 23. *obtinendis* i. e. firmandis. omninoque subigendis. cf. Gronov. ad Liv. 3, 36.

si—pateretur de industria non utitur plusquampf.; imperf. enim, non ut plusp. ad unum aliquod factum, sed omnia ejusmodi facta pertinet. Explicat hunc ejus usum Ramsh. l. l. Supplendum h. l. duppliciter: *si exercc. gloria pateretur* sc. *terminum inveniri; inventus term.* sc. fuisset, vel non minus recte *erat*. cf. cap. 1. in fine.

Clota et Bodotria h. Firth of Clyde et F. of Forth. Inter utrumque flumen breve est terrarum spatium, nonnisi 8½ milliar. germm. Hoc *angustum* spatium muniebatur castellis; seriore tempore illo loco continuum vallum exstructum est.

diversi maris hibernico et germanico Oceano; in hunc Bodotria influit.

propior sinus non magis ut Germ. l. h. l. de terra *sinus* intelli-

tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

C. 24. Quinto expeditionum anno, *nave prima* transgressus, ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit: eamque partem Britanniae, quae Hiberniam adspicit, copiis instruxit in spem magis, quam ob formidinem: siquidem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus, si Britanniae comparetur, angustius; nostri maris insulas superat. Solum coelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt in melius; aditus portusque per commercia et

---

gendus. *Propior*, quia inferior Britanniae pars jam parebat Romanis.

C. 24. *nave prima* Becker. conjicit legendum esse *vere primo*.

ignotas habitasse videntur hae gentes in occidentali Scotiae parte.

siquidem — miscuerit de eo, quod, tanquam quod fieri possit, cogitatur; graece sic optat. cum partic. *ἄν*. cf. Ramshorn §. 166. p. 417.

medio inter sequioris aetatis hic v. *medius* usus substantivus; praepositio omissa, ut H. 3, 16. *diductis in latera turmis, vacuum medio relinquit iter;* ib. 18 ubi ERN. cf. supra ad cap. 6. Praeterea bene monet Pichena, *media* quaevis interjecta appellari.

valentissimam i. *partem* sita enim Hibernia media inter terras Romanis parentes, Hispaniam, Galliam, Britanniam, has in unum quasi corpus conjunxisset, quod illis temporibus eo optabilius erat, quo rudior ars nautica atque alti maris timens.

ingenium cultusque, ut hic ad externa quaeque, sic illud ad animorum indolem pertinet.

differt in melius sic codd. Vatt., modo ut post *differt* major interpunctio reperiatur; alii *differunt;* refer *differt* ad *cultus,* qui est sing. numerus. Est praegnans oratio: diversum sed

negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat ac specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi, legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse: idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

Caeterum aestate, qua sextum officii annum C. 25. inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit, quae ab Agricola primum assumpta in partem virium sequebatur egregia

---

idem melius esse; A. 2, 82. *cunctaque, ut ex longinquo, aucta in deterius adferebantur.* 14, 39. *cuncta ad imperatorem in mollius relata,* H. 3, 7. *res in majus accipitur.* cf. Vigerus p. 596 sq.

audivi — posse collegerunt ex h. l. VV. DD. Tacitum ipsum in Britannia affuisse. Becker huc trahit vv. c. 22. *annotabant periti* ob imperf. a scriptore adhibitum.

debellari cf. Ruperti ad Juv. Satt. 2, 160.

C. 25. *amplexus* Sic Vat. cod. In reliquis per compendium scripturae *amplus*, deinde mutatum in *amplas*. Supra c. 17. eod. sensu h. v. habuimus. Exquisitius Bipp. explicant de amplexibus serpentum et laudant locum ex Cic. pro Mil. 27. qui autem legitur pro Flacco 18. ab h. l. prorsus alienus; v. Lex. Cic. Schützii.

hostilis exercitus sic libri; Rhen. correxerat *hostili exercitu.* Est simpliciter gen. activus: itinera hostilis exercitus, Romanis progressum impedientia. — *Hostilis exerc.* pro *hostium exercitus* nunquam apud Ciceronem legitur. v. Athen. l. l. p. 263. Pro *hostilis* Becker. recepit *hostibus.* Itinera explicat de viis, quae a tergo exercitus Romani sunt. Sed sola vox *ultra* vulgatam interpretationem tuetur.

in partem virium frequentat Noster hanc formulam; H. 4, 26. *in partem curarum additus*, 14, 33. *comitantes in partem exer-*

specie, quum simul terra, simul mari bellum impelleretur; ac saepe iisdem castris pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent; ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc auctus Oceanus militari jactantia comparārentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum *victis* perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi paratu magno majore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse ultro, castellum adorti, metum ut provocantes, addiderant; regrediendumque citra Bodotriam et excedendum potius, quam pelleren-

---

citus acceperat. Sic etiam Liv. 5, 21. *Dii in partem praedae vocati. Vires* pro exercitu v. supra ad c. 14.

bellum impelleretur (Cod. Vat. *impellitur;* vulg. Rhen. debetur) poëtice, ac fortius pro inferretur; pingit h. v. egregie impetum, quem dicit Cicero, quo bellum celeri quasi gressu progreditur, pro lege Man. §. 34. *quam celeriter belli impetus navigat.* Lucan. 7, 16. *et quaecunque fugax Sertorius impulit arma;* ib. 5. *impulsum bellum;* 330. *impulsi quae praemia belli,* quod Bipp. male de initio belli explicant.

mixti copiis et laetitia cf. supra c. 4. mixti sunt copiis, i. e. suppetunt iis; laetitia mixtum esse i. e. affectum esse laetitia: in bunten Gruppen, bei etc. *Copiae*, ut c. 22.

hinc — hinc ab unis — ab alteris, sic interdum de personis. — Auctum Oceanum Lips. bene sic explicat: quia scil. incognitum mare navigatum et reliquo Oceano quasi adjectum sit. Oberl. falso interpretatur de jactantia militari.

oppugnasse ultro pendet a *fama* ut sit i. q. rumor, quod oppugnarint. Castella, inquit, adorti [sc. populi] et apparatu magno et majore fama, vel ex eo, quod sponte oppugnatum venis-

tur, ignavi specie prudentium admonebant. At quum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos, ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

Quod ubi cognitum hosti, mutato repente C. 26. consilio universi Nonam legionem ut maxime invalidam nocte aggressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus irrupere. Jamque in ipsis castris pugnabatur, quum Agricola, iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium jubet, mox ab universis adjici clamorem. Et propinqua luce fulsere signa. Ita ancipiti malo territi Britanni; et Romanis redit animus, ac, securi pro salute, de gloria certabant. Ultro quin etiam erupere,

---

sent, metum addiderant. PICH. et GRON. Haec igitur inter primariam sententiam: *Caledonii — addiderant* παρενθετικῶς interjecta. *adorti* egregie defenditur iis, quae disputavit Bremi ad Nep. Thrasyb. 2. Becker recepit: *castellum* supplens *quoddam*, quod non necesse est.

ne — peritia etc. i. e. ne ab hostibus, locorum peritioribus.

C. 26. *inter somnum ac trepid.* nobilius hoc, ac si concretis usus esset.

quum A. jubet v., si tanti est, Ramshorn. p. 612.

assultare tergis A. 2, 13. *tertia ferme vigilia assultatum est castris, sine conjectu teli.*

pro salute de gloria Vat. A. et edd. vett., ac recte sane. *Ac securi*, non jam, quemadmodum antea, ut salvi essent, *de gloria* i. e. jam ut victores evaderent, certabant. Volebant plurimi hoc ita transponi: *de salute pro gl.*

erupere huic scripturae Vat. A. non obstat, quod sequitur, *in portarum angustiis*; explicative hoc adjectum est, ut significaretur, quam difficilis eruptio fuerit.

et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes; utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

C. 27. Cujus conscientia ac fama ferox exercitus, *nihil virtuti suae invium et penetrandam Caledoniam, inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu*, fremebant. Atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima haec bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni non virtute, sed occasione et arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quo minus juventu-

---

C. 27. *cujus conscientia* sic cod. Vat.; quod Lips. ita explicat: conscius sibi exercitus egregiae victoriae et ex ea famae, majora volvebat. Ann. 12, 31. *atque illi conscientia rebellionis — multa et clara facinora fecerunt.*

fremebant bene expl. ab Herzog. ad Caes. b. g. 2, 24. Noster H. 2, 44. *Praetorianus miles non virtute se, sed proditione victum fremebant.* Etiam de adsensu, de admiratione, de laetitia dr; saepius de indignatione. Proprie dr. de equis, ut Germ. 9.

uni imputantur hoc dedit Rhen., cod. Vat. *cum imp.* — Becker. scripsit *duci*, quod h. l. *dux* opponatur *militibus*. Sed *unus* nonne et ipse dux est? Retinui igitur vulgatam.

sed occasione et arte ducis rati ita in libris et edd. — Lipsius conjicit vel *ducis victos* sc. se esse; vel *ducis superati*. Librorum scriptura non sollicitanda et per ellipsin explicanda esse videtur: *rati* sc. se victos esse. Ann. 12, 12. *et summam fortunam in luxu ratum* sc. positam esse. — *Rati* nullo modo sollicitandum est; tecte enim in hoc v. ratio inest, cur nihil remiserint ex arrogantia. — Becker. in notis praefert: *superati*.

tem armarent, conjuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. Atque ita irritatis utrimque animis discessum.

Eadem aestate cohors Usipiorum, per Ger- C. 28.
manias conscripta et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso Centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas, adactis per vim gubernatoribus, adscendere: et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur. Mox hac atque illa rapti et cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte

---

C. 28. *cohors Usipiorum*, dicti iidem *Usipetes*, ut Ann. 1, 51. Germ. 32. *Proximi Cattis, certum jam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipii et Tencteri colunt.*

manipulis Herzog ad Caes. 2, 25. Niebuhr röm. Gesch. II, p. 474.

remigante cod. Vat. A., vulgo: *remigrante.* Illud ob vicinitatem ejusdem v. positum est pro *gubernante:* duae naves, interfectis duobus gubernatoribus, sequebantur tertiam illam, in qua unus ille remigabat; sic illae amissae inscitia remigandi sive regendi. Hoc sensu vides recte habere praesens.

praevehebantur i. q. *praetervehebantur.* A. 2, 6. *qua Rhenus Germaniam praevehitur.* H. 5, 23. *sic praevecti* (Romani ab altera, Germani ab adversa fluminis parte venientes) *tentato levium telorum jactu, dirimuntur.* Sic jam Horat. od. 4, 3, 10. *sed quae Tibur aquae fertile praefluunt.*

Mox — — Britannorum ita Rhen.; in cod. Vat. ita: *mox ad aquam atque ut illa raptis secum plerisque Britt.*

ductos vescerentur. Atque circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. Ac fuere, quos per commercia venumdatos, et in nostram usque ripam mutatione mentium adductos, indicium tanti casus illustravit.

C. 29. Initio aestatis Agricola, domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit. Quem casum neque ut plerique fortium virorum, ambitiose neque per lamenta rursus ac moerorem muliebriter tulit. Et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad

---

amissis navibus i. e. quum aberrassent navium duae, illae quidem, quarum gubernatores interfecti erant. Tertia delata est ad Frisios; illae jam captae a Suevis. Beckerus putat Suevos h. l. eosdem esse cum Suionibus, in Norvegia habitantibus, comparans. Germ. 44. 45.

fuere quos — illustravit cf. Ramshorn. p. 551. in f. Gernhard in commentt. gramm. part. IV, p. 18. Eodem pertinet locus c. 40. *quibus ei provincia dabatur*, ubi minime, ut putat Becker., conjunctivo locus est.

in nostram ripam laevam Rheni. cf. Hess. ad Germ. 17.

C. 29. *initio aestatis* i. sequentis i. e. septimae.

ictus — amisit post Ramshorn. p. 696. explico per hypallagen praedicatorum: *amisso filio — ictus est;* sic supra 25.: *amplexus — exploravit.*

ambitiose oppositio postulat ut intelligatur: parum motus; sed plus huic voc. inest, ut potius monstret, esse quosdam, qui humana contemnendo gloriolam captent; verterim: mit vornehmer Kälte, non ut DR. ohne Prunk.

rursus ut Graecorum *αὖ* i. q. contra.

praedata — faceret i. e. quum praedaretur, vel praedans.

montem Grampium pervenit, quem jam hostis insederat. Nam Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem aut servitium exspectantes, tandemque docti, commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. Jamque super triginta millia armatorum adspiciebantur, et adhuc affluebat omnis juventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello ac sua quisque decora gestantes; quum inter plures duces virtute et genere praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur:

Quoties causas belli et necessitatem nostram C. 30.
intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis totius Britanniae fore. Nam et universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae, ac ne mare

---

Grampium h. Grantzbain.

hostis insederat sic Vat. A. Vide de hac enallage numeri, poëtis quam scriptoribus usitatiore Hess. ad Germ. 6, 3.

cruda ac viridis sen. A. 1, 8. *a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii* etc. Eadem prorsus vv. apud Virg. A. 6, 304. gr. ὠμὸν γῆρας.

decora Ern. de praemiis intelligit. Ego intellexerim de manubiis, quas hostibus interfectis detraxerant.

Calgacus sic codd. Vatt. Becker. supicatur *Calgarum* fortasse leg. esse, ut qui in Ossiani carminibus occurrat. Beckero monente apud Ossianum *Calgarus* quidam commemoratur.

C. 30. *necessitatem* vel vincendi vel moriendi; servire enim ipsa morte pejus.

servitutis expertes DR. non de ipsa servorum conditione, sed de animo, qui ea delectetur, eamque sensim adamet, intelligendum censet; subtilius, ni fallor. Ter in paucis vv. omisit scriptor copulam, ut solet in sexcentis locis.

quidem securum, imminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium littora adspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniae patet: atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa: et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium et modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur: si locuples hostis est, avari; si pauper,

---

priores pugnae — — quia jactantius hoc dictum, ut bene OBERL. Putarunt Britanni, ad ipsos quum esset ventum, Romanos pulsum iri.

a contactu tropo a morbis ducto. Longe autem liberrimus is est, qui ne oculum quidem adspectu inquinavit.

libertatis extremos ultimo enim loco habitantes libertatem diutissime servarunt.

recessus ipse ac sinus famae cf. Passow. ad Germ. p. 84. quem v., similia graeca vocc., *κόλποι, λαγόνες, κενεῶνες γῆς*. Sinus, inquit, omnino de recessibus terrarum, sacris praecipue et sub Deorum tutela singulari positis.

infestiores sic cod. Vat. A. Ego sic intelligo: ab altera parte mare et saxa nobis imminent, fugam impedientes; ab altera, inferiore quidem, Romani, majores etiam atque illa nobis minantes miserias. — Becker. *infestiores* intelligit de Romanorum classe, quae *visa Britannos obstupefecit* atque confert c. 25. *ac ne mare quidem securum* etc.

ambitiosi; quos non oriens, non occidens satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus, imperium; *atque, ubi solitudinem faciunt,* pacem *appellant.*

Liberos cuique ac propinquos suos natura C. 31. *carissimos esse voluit. Hi per delectus alibi servituri auferuntur: conjuges sororesque, etiamsi hostilem libidinem effugiant, nomine* amicorum *atque* hospitum *polluuntur. Bona fortunasque in tributum aggerant, annum in frumentum: corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur; Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit; ac sicut in familia*

C. 31. *etiamsi effugiant* Cod. Vat. A.; in aliis *et si* vel *etsi.* Illud fortius. Conjunctivus hoc includit: quod autem fere nunquam fit.

bona — aggerant in cod. Vat. ita: *bona fortunae quae* (in marg. *quoque*) *in tributum aggerat annus. in frumentum.* Ex quo triumviri Dödepl. Walch. et DR. nostrum confinxerunt. *Agger* pr. signif. materiam congestam, (Aufschutt, Erderhöhung); *aggerare* igitur est i. q. comportare in cumulum, accumulare. Apul. Met. II, p. 123, 40. *stragula aggerare in tumulum.* — *Annus* pro annuo proventu expl. Hess. ad Germ. 14. et ante eum Ruhnken. in praef. ad Schelleri lex., quem v.

emuniendis sylvis i. e. viis per sylvas muniendis et sternendis. — Praepositio h. l. vim verbi auget, quae est notissima ejus significatio; est vero etiam alia, VV. DD. minus animadversa; interdum enim haec praepositio initium ejus rei fieri significat, quae in verbo inest; sic Hor. od. 1, 5, 8. *Heu, quoties — — aspera Nigris aequora ventis Emirabitur insolens* i. e. quoties mirari incipiet, cum stupore mirabitur: aufstaunen; sic *erubescere* erröthen.

pascit cum indignatione, ut nos utimur v. füttern.

recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est: sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus: et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita, sublata spe veniae, tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra; ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere. Nos integri et indomiti et libertatem non in praesentiam laturi primo statim concursu ostenda-

---

etiam conservis sic Vat. 1. Vulgo *et.*

in excidium ne intellige cum DR. de delectibus, sed, quod verbum dicit, de eorum exstirpatione. Sibi opponuntur *Britanni* et *Caledones; subigendum* ac *plane exstirp.*

quibus exercendis sic poëtae, inprimis Virgilius, loqui amant; Georg. 1, 99. *exercetque frequens tellurem*, coll. Germ. 29. *qui agros exercent.* Plura praebet Athenaeum II, 2. p. 261.

Brigantes sic cod. Vat. — Cambdenus intulerat *Trinobantes.* Ac Tacitus sane in hoc nomine errasse videtur, si confers A. 14, 31. sed ipse sic scripsit.

nos integri — ostendamus sic cod. Vat., nisi quod pro voc. *praesentiam*, quod vett. edd. exhibent, praebet *poenitentiam*, quod vix aliquis commode explicaverit.

In praesentiam non explico cum DR. *für einen kurzen Augenblick*, quod haec formula significare nequit; sed hunc sensum esse puto: et libertatem non ita accepturi, quasi eam antea nondum habuissemus, sive: ut libertas nunc demum praesens nobis sit, ad nos perveniat. Brigantes enim, *non amplius liberos sed Romanis diu parentes*, dixit jugum exuere potuisse, si virtute uti perrexissent; nos, inquit, qui omnino nullis adhuc subjecti fuimus, ab initio statim Romanis ostendamus, quales etc. Becker similiter h. l. explicat; sed, quem in partes vocat

mus, quos sibi Caledonia viros seposuerit! An eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam adesse creditis?

Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari- C. 32.
vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt, quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent ita adversae dissolvent; nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu!) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commendent, diutius tamen servos hostes, fide et affectu teneri putatis. Metus et terror est, infirma vincula caritatis; quae ubi removeris, qui timeri desierint odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt. Nullae Romanos conjuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt. Aut nullae plerisque

---

Handium, is nonnisi de ablat. loquitur. — *Ferre* pro *accipere* dictum, ut ferre repulsam, palmam, fortunam, damna, alia id genus. Gronov. diatr. p. 49. ed. Lips.

C. 32. *nisi si* solennis harum particc. usus in ironia, ut *nisi forte;* v. Ramshorn. p. 593. et praecipue Drakenb. ad Liv. Tom. II, p. 376. *nisi si quando — arma ceperimus.*

pudet dictu his simm. habet Ramshorn p. 452. Supinorum haec est omnino ratio, quae nomm. substantt. quartae declinationis, quasi dicas: man schämt sich beim Sagen. cf. Gernhardi commentt. grr. part. V. p. 5.

commendent — servos hostes, fide sic Vat. h. l. exhibet, quem cum Beckero ita scriptum sanum esse arbitror. Vulgo legitur: *commodent* et *servos quam hostes.* Sic intellige: licet aliquantum temporis cum iis pugnent, tamen diutius erunt ipsis hostes servientes. sive, ut Becker. expl.: servi hostes sunt homines, qui etiamsi serviant, hostes tamen esse nunquam desiverunt. servus h. l. adjectivi vicem, ut in noto illo Horatii: *servum pecus.*

accendunt Caes. b. g. I, 51. *eo mulieres imposuerunt, quae in proelium proficiscentes milites passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.* Germ. 8.

patria, aut alia est: paucos numero, trepidos ignorantia, coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circum spectantes, clausos quodammodo ac vinctos Dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus adspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus. Agnoscent Britanni suam causam: recordabuntur Galli priorem libertatem: deserent illos caeteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et injuste imperantes aegra municipia et discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla et caeterae servientium poenae: quas in aeternum perferre, aut statim ulcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem et majores vestros et posteros cogitate.

---

paucos numero ne intellige cum DR.: *qui sunt aliquo numero s. pretio.* Eleganter Latini hoc verbum per pleonasmum adjiciunt. Sic Cic. de or. 2, 28. *haec sunt tria numero.* V. Schützii lex. Cic. et Herzog ad Caes. 6, 13.

circum spectantes ingeniosa Döderl. emendatio. BECKER.

vinctos Dii, vulgo *alii;* in Vat. cod. parum distincte scriptum hoc voc. Sed jam Lips. meo, inquit, jussu repone *Dii.* Multo hoc gravius. *Alii* qui tuentur, sic interpretantur ut intelligatur de prioribus Britannis, jejune admodum.

tamquam i. e. non secus ac. H. 1, 6. *inauditi atque indefensi, tanquam innocentes perierant.* DR. Nec Ciceroni insolitum; in Vatin. 2, *repente enim te, tanquam serpens e latibulis, — — intulisti.*

senum coloniae per contemtum veteranos sic appellat. ERN.

proinde concludit jam, quid ex superioribus sequatur, et omnia complectens, cum adhortatione quadam; ergo, inquit etc. Graeci hoc sensu πρὸς ταῦτα. v. Heindorf ad Cic. de N. D. 2, 38, 96. — Cic. Cat. 2, 5, 11. *Proinde aut exeant, aut quiescant:* etc.

Excepere orationem alacres, ut barbaris mo- C. 33.
ris, cantu et fremitu clamoribusque dissonis. Jamque agmina et armorum fulgores audentissimi cujusque procursu; simul instruebatur acies, quum Agricola, quamquam laetum et vix munimentis coërcitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit: *Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani fide atque opera vestra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit; neque me militum, neque vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus.*

C. 33. *ut barbaris moris* sic Tac. loqui amat; cf. infra 39 et 42. — Addit Becker. Germ. 13. *sed arma sumere, non ante cuiquam moris, quam* etc. 21. *abeunti si quid poposcerit, concedere moris.*

Jamque — fulgores suppl. verbum aliquod, ut *conspiciebantur;* ut supra c. 13. *mox bella civ.* sc. secuta sunt et saepius.

instruebatur Codd. Vatt. idque solum recte, nam de Britannorum tantum acie intelligendum.

munimentis saepissime de castris, ut Caes. b. g. 2, 33. *qua minime arduus ad nostras munitiones ascensus videbatur.*

adhuc ratus DR. recepit e Vat. A. bene conferens H. 1, 36. *et quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus* etc.

octavus annus numerat ab introitu in provinciam. Nos: es ist bereits das achte Jahr, quum modo incepit.

virtute et auspiciis Suet. Aug. 21. *Domuit autem, partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam.* Ann. 2, 41. *recepta signa ductu Germanici, auspiciis Tiberii.* Etenim, quum imperator ipse bello intererat, *ducebat;* verum, quum eo absente alius ducebat, au-

Inventa Britannia, et subacta. Equidem saepe in agmine, quum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cujusque voces audiebam, Quando dabitur hostis, quando acies? *Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem; item fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus et arma et in his omnia. Quod ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior; et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt: nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.*

C. 34. *Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer.*

---

spicio tantum ejus res gerebatur. Hoc transfert Tac. ad populum Rom., cujus duces fortes illius auspicio rem gerunt.

voces DR. e Vat. A.; antea *vocem*.

in frontem sc. proficiscentibus. Supplendum hoc ex seq. voce *fugientibus*, in qua latet communis eundi notio. Haec loquendi ratio praecipue Graecis frequentatur. Sic supra supplendum *induit* e v. *exuerat* c. 9.

item revocatum e cod. Vat. A.; Rhen. correxerat *ita*. „Est antiquius; cf. Sall. Jug. 51. Cic. de or. I, 26. *nihil est, quod cogat hominem sicut in foro non bonos oratores, item in theatro malos actores perpeti*." BECKER.

in ipso — naturae fine, naturae quidem, ut quae ibi non amplius ea est, quae aliis in terris est; vide, quae supra de mari, de natura nootium ac simm. tradita sunt.

Nunc vestra decora recensete, vestras aciles interrogate. Ii sunt, quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis; hi caeterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur, sic acerrimi Britannorum jam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt. Novissime res ergo et extremo metu corpora defixere aciem in

C. 34. *furto noctis* Bipp. conferunt Virg. 9, 397. *fraude noctis*, et Curt. 4, 13, 9. *meae gloriae — furtum noctis obstare non patiar; palam luce aggredi certum est;* ut in hoc *palam luce* sic in nostro *clam noctu.*

hi, ex Vat. A. δεικτικῶς haec cum vi quadam adjecta sunt. Döderlein. argutatur in superlat. explicando.

ultro ruere Cod. Vat.; infra 37. eadem locutio.

quos quod etc. ita idem codex; et hoc verum; quod, inquit, eos invenistis, ideo non putandi sunt fortes; longius etiam fugissent, si potuissent. — Becker. explicat *quod* paulo aliter per: quod illud attinet, quod etc.

deprehensi sunt vim v. *depr.* aperuit Gesner ad Plin. epp. 8, 14, 3. Quint. inst. 12, 2, 14. *parva quaedam animalia, in angustiis mobilia, campo deprehenduntur.* DR.

novissime res, et extr. etc. intacta haec reliqui, prorsus ut exhibentur a cod. Vat. A. Respondent sibi *res* et *corpora; novissime* et *extremo metu.* Jam hunc sensum esse arbitror: in ultimo Britanniae recessu sua omnia; et, summo jam correpti metu, corpora ipsorum, animo carentia, in acie collocarunt. — *novissime* ut supra c. 10. *novissimum mare;* pessime DR. ad tempus retulit: ganz zuletzt; *res* angustius explicavit Oberl. facultates et opes; melius nos: ihr Alles; *corpora defigere aciem* audacius dictum; quod autem recte dicitur: *aciem def.* et *corpora def.*, utrumque, ut Graeci saepissime, scriptor conjunxit. *Corpora* bene explicant: machinae quasi, sine animo, qui est hominis vigentis. Pro *res* Becker. *ergo* suo Marte scripsit.

Inventa Rritunnia, et subacta. Equidem saepe in agmine, quum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cujusque voces audiebam, Quando dabitur hostis, quando acies? *Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem; item fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus et arma et in his omnia. Quod ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior; et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt: nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.*

C. 34. *Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer.*

---

spicio tantum ejus res gerebatur. Hoc transfert Tac. ad populum Rom., cujus duces fortes illius auspicio rem gerunt.

voces DR. e Vat. A.; antea *vocem*.

in frontem sc. proficiscentibus. Supplendum hoc ex seq. voce *fugientibus*, in qua latet communis eundi notio. Haec loquendi ratio praecipue Graecis frequentatur. Sic supra supplendum *induit* e v. *exuerat* c. 9.

item revocatum e cod. Vat. A.; Rhen. correxerat *ita*. „Est antiquius; cf. Sall. Jug. 51. Cic. de or. I, 26. *nihil est, quod cogat hominem sicut in foro non bonos oratores, item in theatro malos actores perpeti.*“ BECKER.

in ipso — naturae fine, naturae quidem, ut quae ibi non amplius ea est, quae aliis in terris est; vide, quae supra de *mari*, de natura noctium ac simm. tradita sunt.

Nunc vestra decora recensete, vultus aversos interrogate. Hi sunt, quos proximo anno, unum legionem furto noctis aggressus, clamore debellastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quemadmodum silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur, sic acerrimi Britannorum jam pridem cecidere: reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt. Novissimo res ergo et extremo metu corpora defixere aciem in

---

C. 34. *furto noctis* Bipp. conferunt Virg. 9, 397. *fraude noctis*, et Curt. 4, 13, 9. *meae gloriae — furtum noctis obstare non potuit; palam luce aggredi certum est;* ut in hoc *palam luce* sic in nostro *clam noctu*.

hi, ex Vat. A. δεικτικῶς haec cum vi quadam adjecta sunt. Döderlein. argutatur in superlat. explicando.

ultro ruere Cod. Vat.; infra 37. eadem locutio.

quos quod etc. ita idem codex; et hoc verum; quod, inquit, eos invenistis, ideo non putandi sunt fortes; longius etiam fugissent, si potuissent. — Becker. explicat *quod* paulo aliter per: quod illud attinet, quod etc.

deprehensi sunt vim v. *depr.* aperuit Gesner ad Plin. epp. 8, 14, 3. Quint. inst. 12, 2, 14. *parva quaedam animalia, in angustiis mobilia, campo deprehenduntur.* DR.

novissimo res, et extr. etc. intacta haec reliqui, prorsus ut exhibentur a cod. Vat. A. Respondent sibi *res* et *corpora; novissimo* et *extremo metu*. Jam hunc sensum esse arbitror: in ultimo Britanniae recessu sua omnia; et, summo jam correpti metu, *corpora* ipsorum, animo carentia, in acie collocarunt. — *novissimo* ut supra c. 10. *novissimum mare;* pessime DR. ad tempus retulit: ganz zuletzt; *res* angustius explicavit Oberl. facultates et opes; melius nos: ihr Alles; *corpora defigere aciem* audacius dictum; quod autem recte dicitur: *aciem def.* et *corpora def.*, utrumque, ut Graeci saepissime, scriptor conjunxit. *Corpora* bene explicant: machinae quasi, sine animo, qui est hominis vigentis. Pro *res* Becker. *ergo* suo Marte scripsit.

his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta annis magnum diem: approbate reipublicae, numquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut causas rebellandi.

C. 35. Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat; et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo millium erant, mediam aciem firmarent, equitum tria millia cornibus affunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellandi, et auxilium si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen aequo, caeteri per acclive jugum convexi velut insurgerent;

---

transigite i. e. finite expeditiones. Sumtum e re pecuniaria et forensi. Finita est controversia, ubi cum litigatore, debitore, creditore transegimus. ERN.

magnum diem res enim in discrimen adducitur, magnum aliquid eo die patratur. cf. Turneb. adverss. II, 24. ubi similia explicat. Alios laudat DR.

C. 35. *instinctos* v. ad cap. 16.

octo millium cod. Vat. A.

bellandi sic edd. vett. et cod. Vat. — Pendet uterque genit. ab uno nomine h. l. eo facilius, quod *victoriae decus* quasi unum nomen est, Siegesschmuck.

in speciem s. a. terr. i. e. ut magnitudo exercitus simul conspiceretur, et terrorem Romanis injiceret. DR. Germ. 38. *in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti, ut hostium oculis ornantur.*

convexi ita liber Vat., quod admodum graphice dictum miror DR. fefellisse; e. g. Claudian. Honor. 614. *vulgus convexum gra-*

media campi covinarius et eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis, dimisso equo ante vexilla constitit.

Ac primo congressu eminus certabatur; si- C. 36. mulque constantia, simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus cetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere; donec Agricola tres Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum, et hostibus inhabile, parva scuta et enormes gla-

---

dibus, prorsus ut in theatro, sic h. l. in montis ascensu Britanni collocati sunt. — Idem Becker. probat.

covinarius Caesar *essedarios* appellat. Plura collegit Drakenb. ad Silium 17, 418. De ratione qua covinarii pugnarint, lege omnino Caes. b. g. 4, 33.

promtior in spem A. 15, 25. *ne tam promtus in pavorem longiore sollicitudine aegresceret.* DR.

vexilla haec enim sociorum, aquilae legionum tantum. Quoniam igitur acies solis sociis constat, ante vexilla proprio sensu dixit. — Descriptio aciei Romanae haec fuit: octo millia peditum in fronte; ab utroque cornu 1500 equites; pone aciem pedestrem quatuor alae equitum, *ad subita belli retentae*, legiones prorsus a pugna remotae.

C. 36. *simulque* cod. Vat. A. Antea *simul.*

cetris oblongae erant formae et plerumque e coriis factae.

vetustate militiae barbari moris non quidem erat haec pugnandi ratio, sed quod diu apud Romanos militaverant, ab iis didicerant.

dios parentibus. Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in aperto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare, et stratis qui in aequo adstiterant, erigere in colles aciem coepere; caeterae cohortes aemulatione et impetu commistae proximos quosque caedere: ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum turmae fugere. Covinarii peditum se proelio miscuere; et, quamquam recentem terrorem intu-

---

complexum armorum ubi vicissim gladii sese complectuntur; circumscripsit ita, quod vulgo dici solet cominus pugnare.

in aperto pugnam explicant de pugna, quae est in planitie. Et est sane *in aequo*, ut cap. sup. dixit; sed illud hoc loco maxime dicere vult, apertos fuisse Britannos vulneribus, quum antea e longinquo quum starent, vitassent excussissentque Romanorum missilia. Pugna in aperto, ut pugna aperta ea est, ubi patet corpus gladiis, nec, ut quum eminus pugnatur, a missilibus et telis facilius defenditur. cf. Ann. 2, 21 ubi hoc *stabile proelium* dr. *Complexus armorum* et *pugna in aperto* vicissim se explicant. Ern. in cl. Cic., quem DR. laudat, apertum, inquit, e ludo gladiatorio petitum est, ubi latus apertum, nudum dicitur, quod patet ictibus. — Becker conjicit *non ut in ap.*, quod, si quid video, mea explicatione admissa, alieni quid infert.

foedare et stratis in cod. Vat. *foede recte tractis*. Pro *foedare* fortasse magis ex Taciti more scriberes *fodere*, ut Ann. 2, 21. *contra miles* (Romanus), *cui scutum pectori appressum, et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet.* — Hoc Becker. recepit.

equitum turmae intellige Britannorum catervas, nec haerebis. Interea dum pugnabant pedites Britannorum, etiam equites eorum, qui pone illos inter aciem peditum et montem Grampium constiterant, proelio se miscuerunt; sed quia tota jam Romanorum acies celeri gradu progreditur, nec locus, quo pugnent, relinquitur, et ipsi fugiunt.

lerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant: minimeque equestris ea jam pugnae facies erat, quum aegre dum adstantes, simul equorum corporibus impellerentur, ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.

Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paullatim et circumire terga vincentium coeperant: ni id ipsum veritus Agricola quatuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disjecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum: transvectaeque praecepto ducis a C. 57.

---

hostium agmina sic Romanos appellat. cf, c. 30. in f.

minimeque — impellerentur Cod. Vat.: *minimeque equestres. ea enim pugnae facies erat, quum aegra aut diu stante simul* etc. quod recepi Oberlinus dedit. Recentissimus editor felicissime locum sic immutavit: minimeque equestris ea *jam* p. f. e. quum aegre *dum ad*stantes. Covinarii enim de curribus desilientes tanquam pedites pugnabant; verum ne id quidem, partim locorum difficultate, partim quod ipsorum equis proturbarentur, fieri poterat.

C. 37. *vacui* sc. pugna, id est, otiosi; opp. *occupatus* ut H. 4, 17. *proinde arriperent vacui occupatos.*

digredi sic codd. et edd. vett. Non solum enim degrediuntur, sed in duas partes divisi, utrimque Romanos amplexuri, descendunt.

subita belli H. 5, 13. *Quando impetus et subita belli locus admoneret.* ib. 16. Dux sibi delectos retinuerat *ad improvisa.* DR.

accucurrerant sic cod. Vat.; antea sine reduplicatione.

transvectae Britanni ut dictum est, id agitaverant, ut Romanos a tergo adorirentur. Celeriter autem iis disjectis, hae ipsae alae, quae hoc effecerant, equis dextrorsum sinistrorsumve ver-

fronte pugnantium alae, aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere atque eosdem oblatis aliis trucidare. Jam hostium prout cuique ingenium erat catervae armatorum paucioribus terga praestare; quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. Passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus et aliquando etiam victis ira virtusque. Postquam silvis appropinquarunt, collecti primos sequentium incautos et locorum ignaros circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo et sicubi arctiora erant partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare jussisset: acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Caeterum, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre; in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi invicem, longinqua atque

---

sis, aciem Britannorum adhuc pugnantem a tergo adortae victoriam celeriter dijudicarunt.

Tum vero Sall. Jug. 101. *Tum spectaculum horribile campis patentibus: sequi, fugere, occidi, capi; equi, viri afflicti; ac multi vulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati; niti modo ac statim concidere; postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus confecta sanguine.* — Quod enim Martial. 14, 191.

Primus Romana Crispus in historia,

id omnes Romani judicabant.

Victis ira virtusque Eandem sententiam Virg. A. 2, 367. *Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.*

cohortes improprio sensu intelligendum esse videtur: agmina. *rari et vitabundi* omissum *sed*, quod haud raro cum apud alios,

avia petiere. Finis sequendi nox et satietas fuit. Caesa hostium ad decem millia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere; in quis Aulus Atticus, Praefectus cohortis, juvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus.

Et nox quidem gaudio praedaque laeta victo- c. 38.
ribus. Britanni palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere; eligere latebras et statim relinquere; miscere invicem consilia aliqua, dein separare; aliquando frangi adspectu pignorum suorum, saepius concitari; satisque constabat, saevisse quosdam in conjuges ac liberos, tamquam miserentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit. Vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia, neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta jam aestate

---

tum apud nostrum. cf. quae collecta sunt a Drakenb. ad Liv. 28, 39. Cort. Sall. J. 21, 2. 33, 4. Ern. ad Ann. 3, 19. quos laudat Passow ad Germ. 10.

trecenti sexaginta ex Vat. recepit Brot.; antea quadraginta.

C. 38. *trahere* etc. egregie adhibuit inf. historr. de quibus cf. Ramsh. §. 168. 5.

separare hanc Lipsii conj. firmavit cod. Vat. Sic justa oppositio. Ante Lips. legebatur *sperare*. *Aliqua* monstrat, quam incerti haeserint; nullum iis satis placebat.

secreti colles i. q. deserti. Antea enim celebres s. hominibus frequentes fuerant; Martial. 8, 31. *quietem secretam* eod. sensu dicit.

spargi bellum nequibat, in fines Borestorum exercitum deduxit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit. Datae ad id vires et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trucculensem portum tenuit, unde proximo latere Britanniae lecto, omni redierat.

C. 39. Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum jactantia, epistolis Agricolae actum

---

spargi bellum A. 3, 21. *Tacfarinas, perculsis Numidis et obsidia adspernantibus, spargit bellum*, i. e. non late extendit, sed diversis locis, diviso exercitu vel vagando gerit bellum. cf. Burmann ad Val. Fl. 5, 488. Lucan. 3, 64. ERN.

Borestorum circa Taum aestuarium habitasse putantur. Nonnisi h. l. hoc nomen reperitur; vulgo *Horestorum;* illud uterque cod. Vat.

vires H. 2, 74. *At Vespasianus bellum armaque, et pocul vel juxta sitas vires, circumspectabat.*

fama ex verbis *secunda tempestate* simile vocabulum supplendum est; ergo *fama* i. q. gloria. Etenim ob felicem successum famam sibi paraverat.

Trucculensem sic cod. Vat. in textu; *Trutulensem* in margine, quae vulgata est; qui sit ignoratur.

unde — redierat ne corrige cum nonnullis *omnis;* omne enim latus legisse classem dicit auctor; scilicet orientale, septentrionale ac fortasse partem occidentalis. „*Unde* refer ad *lecto*, unde egressa legerat proximum latus Britanniae.“ ERN. Si rem examinas, scriptor brevitatis studio plusquamperf. inclusit imperfectum: unde exierat et nunc redibat; mediis omissis extrema conjungit, commutatione adverbiorum loci Graecis satis usitata; proprie enim dicendum: *quo — redierat.*

C. 39. *actum* sic cod. Vat. A., recepit Becker, (commate quidem posito post v. *jactantia*) quem sequor. Vulgo e Lipsii con-

ut Domitiano moris erat fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crinis in captivorum speciem formarentur: ac nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium caesis, ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet; et caetera utcumque facilius dissimulari: ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque sae-

---

jectura *auctum*. Defendit cod. scripturam V. D. his locis Liv. 10, 31. *Supersunt etiam nunc Samnitium bella, quae continua per quartum jam volumen — — agimus*, et Cic. in Verr. II, 25. *omnia non modo commemorabuntur, sed etiam expositis certis rebus agentur*. Omninoque, quae de rebus in senatu vel apud populum Romanum tractatis, scripta asservarentur, *acta* appellata fuisse bene monet. Nos dicimus: einen offiziellen Bericht erstatten.

ut D. moris erat sic Vat. A. — Cic. Verr. 1, 26. *Philodamus negavit, moris esse Graecorum* etc. Noster etiam cum dativo, ut statim c. 42. et supra, Vellej. 2, 40, 3. *quem semper illi trahere moris fuit*. Vat. B. legit *ut Domitianus erat*. — Quid intersit, utrum dicatur: *mos est*, an *moris est*, docet Ramsh. p. 184.

excepit Vat. A. *excipit*.

falsum e G. triumphum a. u. 837. (p. C. 83.) Plin. Pan. 16, 3. *mimicum* appellat. Dio 67, 4.

ac nunc comparat Döderl. Hor. 3, 28, 6. qui locus parum aptus. Alia, similiora quidem v. apud Ramsh. §. 179. 6. p. 523. Sic Graeci καὶ νῦν et νῦν δὲ interdum commutarunt.

si — alius occuparet queritur Dom., frustra se ejecisse eos, qui civilibus artibus favorem vulgi sibi comparari studuerint, si existat nunc, qui militaris virtutis gloria vulgi studia captet. Sic Scheffer. — *occuparet*, de re, quae nondum quidem vere est, sed quae fieri potest.

vae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus optimum in praesentia statuit, reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. Nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.

C. 40. Igitur *triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem et quicquid pro triumpho datur*, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet: addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi, consularis et majoribus reservatam. Credidere plerique, libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam, codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse cum praecepto, *ut, si in Britannia foret, traderentur:* eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeasse: sive verum istud, sive ex

---

secreto suo satiatus, hoc ei cum Tiberio commune. — Ceterum de re ipsa cf. H. 4, 86. Suet. Dom. 3. Plin. Pan. 48. Dio 66, 9.

C. 40. *triumphalia ornamm.* sunt toga picta, tunica palmata, sella curulis, sceptrum eburneum, laurus, statua laureata s. ut h. l. *illustris*. Inde enim ab Augusto triumphus ipse nonnisi imperatorum ipsorum erat; duces, qui victoriam reportarant, nonnisi illis, quae dixi, ornamentis decorabantur.

addique Muret. *additque*.

ex secret. minn. i. e. ex iis, qui secr. m. obibant.

codicillos hodie dicerent: Patent s. Diplom.

quibus — dabatur vid. supra ad c. 28. in f.

appellato eo vides h. l. veram hujus v. signif. i. q. compellare, alloqui, in alicujus colloquium venire. Cic. am. 5, 11. est *appellare* i. q. nominare aliquem eo quod ei inditum est, nomine. Etiam ubi simpliciter i. q. nominare esse videtur, plerumque primaria illa significatio subest.

ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in Urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit: exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est. Caeterum, uti militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus: adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem

---

successori suspicantur VV. DD. fuisse Sallustium Lucullum, de quo Suet. Dom. c. 10.

quietam tutamque illud ad Britannos, hoc ad Romanos refer.

notabilis est i. q. insignis, auffallend; plerumque, nec tamen semper, in malam partem dicitur,

uti militare nomen i. nomen ducis bello clari; sic explicat Sall. Cat. 59 de Petrejo: *homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria fuerat; uti* cod. Vat.

inter otiosos plerumque ex oppositione sensus h. v. petendus est; h. l. bellum opp.

tranquill. et otium prius in bonis scriptoribus semper ad internam animi indolem, placidam ac perturbationibus non agitatam refertur; h. l. conjunctum cum v. *otium* augendae primariae *quietis* notioni inservit, quasi diceres *tranquillum otium* i. e. ejusmodi, quod negotiis gerendis non inhiat; minime cupidum est negotiorum.

penitus auxit vel in minimis rebus, quas aliquas affert.

comitatus pass. vide verba, quae sic usurpantur apud Ramshorn. p. 96.

per ambitionem h. l. de splendore externo. Sic praecipue apud scriptores hujus aetatis. Plin. Pan. 83, 8. *An, quum videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non et ipsa cum silentio incedat?* De praepos. *per* cf. Zumpt.

aestimare mos est, viso adspectoque Agricola, quaererent famam, pauci interpretarentur.

C. 41. Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. Causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cujusquam, sed infensus virtutibus princeps, et gloria viri ac, pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt reipublicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi: tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti: nec jam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita quum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis

---

quaererent famam i. q. desiderarent, quo sensu etiam apud alios scriptores reperitur. Quint. i. or. 12, 11, 2. *ne se quaerat priorem* i. e. (ut Burm. expl.): ne deprehendat se multum a priore illo oratore, qui fuit florente aetate, differre.

interpretarentur „sign., multos ex specie tantum externa judicasse, paucos inquisisse aut explorasse" Lips. ad H. 2, 39. *miles alacer, qui tamen jussa Ducum interpretari, quam exsequi mallet.*

C. 41. *tot exercitus* etc. Suet. Dom. 6. Dio 67, 6—7.

tot militares viri Lips. malebat *numeri*, Gron. et Heins. *vici. Militares viros* Oberlin. expl. *duces*, quod h. l. arctius esse, bene monet Becker, qui expl. per legatos legionum, tribunos militum, vel etiam centuriones, qui in castellis, in hostium finibus praesidia agitarint. Quod seq. *expugnati*, constr. cum v. *viri* est praegnans dictio: castella expugnata, viri (in iis) capti.

funeribus et cl. duces enim et exercitus perierunt.

animantur cum inertia et formidine ceterorum. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

Aderat jam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui, *ituruane esset in provinciam*, ultro Agricolam interrogarent. Ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in approbanda excusatione offerre; postremo non tam obscuri, suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum. Qui paratus simu-C. 42.

---

ceterorum, sic Grotius, alii *illorum*; quod in Vat. legitur *eorum* sensu caret.

dum — exstimulabant cf. quae laudantur a Zumptio. §. 78, 10. p. 419 sq. et Ramsh. p. 573. Praesens, quod plerumque cum hac partic. conjungitur, majori alacritati inservit; quae ubi, ut h. l. non habet locum, etiam alia tempora ponuntur. cf. Walch. emm. Livv. p. 185.

In ipsam — agebatur alii praecipites aguntur in perniciem, ipse in gloriam. Quum se ipse ad otium et silentium redigeret omni modo, invitus attollebatur, cum summo periculo. ERN.

C. 42. *Asiae et Afr.* utraque provincia in sortem conjecta. ERN.

occiso Civica Suet. c. 10. *Complures senatores et in his aliquot consulares interemit: in quibus Civicam Cerealem in ipso Asiae proconsulatu.*

non tam obscuri sic DR. et ante eum Döderl. e codd. et edd. — i. e. non tam obscuri, ut antea. Rhen. *non jam.*

paratus simulatione sic cod. Vat. A. et edd. vett. *Paratus* is

latione, in arrogantiam compositus et audiit preces excusantis et, quum annuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia; salarium tamen proconsulari solitum offerri, et quibusdam a se ipso concessum, Agricolae non dedit; sive offensus, non petitum, sive ex conscientia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. Proprium humani ingenii est, odisse quem laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram, et, quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani jactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est, illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse; obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint,

---

dr., qui quocunque tempore aliqua re uti potest. Conferre jubet ERN. Cortium ad Plin. epp. 3, 5, 8.

in arrogantiam compositus qui id se rogari patiebatur, quod cupiebat vehementissime; qui gratias sibi agi ferebat ejus, quod A. non poterat non, quin faceret.

beneficii invidia i. e. invidioso beneficio; invidia enim de re invidiae plena. A. 6, 23. *Consultus* [Nero], *an sepeliri sineret* [Agrippinam] *non erubuit permittere.*

salarium ut Dio (78, 22) refert, accepit Proconsul πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας sc. δραχμῶν i. e. decies centies sestertii, sive 25000 imperialium.

eo irrevocabilior i. e. implacabilior; hoc minus revocari ab ira et proposito perdendi poterat. ERN.

illicita mirari cum Brot. intelligendum censeo de contumacia quadam et inani libertatis jactatione, quam ab Agricola tantum alienam esse dixit. Sunt quaedam res hoc tempore, hoc loco licitae, illicitae eaedem alio tempore et loco; sub Domitiano illa illicita. Supra c. 17. *Frontinus, vir magnus quantum licebat.*

eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reip. usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

Finis vitae ejus nobis luctuosus, amicis tri- C. 43.
stis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt; nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor, *veneno interceptum*. Nobis nihil comperti affirmare ausim: caeterum per omnem valetudinem ejus crebrius, quam ex more principatus, per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere: sive cura illud, sive inquisitio erat.

---

excedere varior hic usus, ut Tac. A. 2, 24. *tantum illa clades novitate et magnitudine excessit.* Vell. 2, 68. *in hoc tamen saepe lacessiti principis ira excessit.* cf. Ruhnk. ad Rutil. Lup. 1, 13, p. 48.

in nullum reip. usum sic praefero; alii *in nullum rei post usum*. In Vat. A. ita quidem legitur, sed in marg. idem habet: „Al. *in nullum re p. usum.*"

C. 43. *nobis* (cognatos int.) opp. *extraneos; amicis* respondet *ignotis*.

aliud agens publicas res nihil curans, sed suis negotiis intentus. PICH. Cap. 1. eosdem *incuriosos* appellavit.

veneno interc. sic etiam Dio narrat 66, 20.

Nobis nihil comp. a. a. „compertum est certo cognitum; proprie de iis dr., quae aliis *auctoribus* cognoscimus." Cort. ad Sall. J. 17. *de iis* [locis] *haud facile compertum narraverim.* — *Nobis*, quia non de se solo loquitur, sed de aequalibus in universum. Minus latine dixeris: Non ausim affirmare quicquam nobis parum comperti, ut fere loquitur Germ. 9.

lib. primi, med. intimi putat ERN. epithetorum permutationem factam, quod mihi secus videtur.

Supremo quidem die momenta ipsa deficientis per dispositos cursores nunciata constabant; nullo credente, sic accelerari, quae tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit, securus jam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. Satis constabat, lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore judicioque. Tam coeca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret, a bono patre non scribi heredem, nisi malum principem.

C. 44. Natus erat Agricola, Cajo Caesare tertium consule Idib. Juniis: excessit sexto et quinquagesimo anno, decimo Kal. Septembris Collega

---

momenta ipsa cum vi additur in Vat. A. *ipsa*, quod cum Beckero recepi.

constabant sic revocavit DR. Vulgo *constabat.*

animo vultuque i. e. vultum ita composuit, quasi animo quoque infandum dolorem concepisset. Hist. 1, 85. *animum vultumque conversi.* OBERL. Nos: Stimmung u. Blick.

securus odii, graeca constr., de qua vid. Matth. gr. gr. §. 322. Tac. supra 2. incuriosus suorum; aliis in locis: inc. famae; immodicus laetitiae; compertus flagitii; manifestus delicti simm. Passow. ad Germ. 5. et praecipue Ramsh. §. 107. 6. N. p. 179 sq. h. l. qui odium facile jam deponeret, ut in mortuum. Lips.

piissimae cf. de his formis Ramsh. p. 67.

honore judicioque i. e. honorifico judicio. — De re cf. Suet. Aug. 101. ERN. Vide exempla hujus locutionis apud Hess. ad Germ. 7.

a bono patre etc. Gesner ad Plin. Pan. 43. 1. DR.

C. 44. *C. Caesare* i. e. a. u. c. 793. excessit a. 846, quibus numeris nonnisi 53 anni efficiuntur. Putat igitur Brot. pro LVI scrib. esse LIV, quae conjectura valde speciosa est. Fieri etiam potuit, ut Tac. in calculo erraverit.

Priscique Cass. Quod si habitum quoque ejus posteri noscere velint: decentior, quam sublimior fuit. Nihil metus in vultu, gratia oris supererat: bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam longissimum aevum peregit: quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari, ac triumphalibus ornamentis praedito, quid aliud adstruere Fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat, speciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, futura effugisse. Nam sicuti durare in hac beatissimi seculi

---

nihil metus i. e. nihil in vultu ejus, quod metum incutere possit. Qint. J. O. 6, 2, 21. *Et metum tamen duplicem intelligi volo, quem patimur et quem facimus.* Gell. 9, 12. Reiz de ambig. p. 238. *metus* ut h. l. etiam reperitur Germ. 2, 7. ut *omnes primum a victore ob metum* i. e. ut incuterent metum. cf. Hess. Beckerus exhibuit: *nihil metus et impetus;* illud lib. Vat. in margine, hoc in textu habet. *Vultus* h. l. refer ad oculos; ad reliquam faciem pertinet *gratia oris.*

impleverat i. e. plane assecutus erat. OBERL. in ind. Quasi: cujus mensura repleta est.

consulari sic liber Vat., vulgo pluralis.

speciosae contigerant uterque Vat. *non cont.* Sic cum Dione, quem supra laudavi, consentiret Tacitus. Ubi autem, quae h. l. exspectatur, oppositio?

Nam sicuti — ominabatur: supple ad haec, quae manca esse videntur ex sqq. *solatium fert* post vv. *Trajanum* videre. Sic jam BROT. Eodem modo in Germ. 2. in f. *quoniam, qui primi Rhenum transgressi, Gallos expulerint, ac nunc Tungri* (sc. vocentur) tunc *Germani vocati sint.* ib. c. 36. *Ita, qui olim aequi bonique*

luce, ac principem Trajanum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit.

C. 45. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum, et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sen-

---

Cherusci (sc. vocati sunt) *nunc inertes et stulti vocantur.* cf. de aliis syllepseos exemplis Cort. ad Sall. Cat. 3. et infra ad c. 45. — Ceterum de Trajano ipso non cogitavit Agricola, sed de melioribus temporibus in universum. Tac. autem, post eventum, ad Trajanum refert.

spiramenta, ea momenta quietis, ubi spiritum ducis.

uno ictu idem de Caligula Sen. de Ira 3, 19. *homo, — qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua — in unum ictum et unum diem cogeret.*

C. 45. *Non vidit* etc. cf. cum his ac sup. capitis vv. locus huic simillimus Cic. de or. 3, 2. *Non vidit* [Crassus] *flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum* etc.

obsessa curia incertum, quorsus haec spectent.

tot Consull. caedes Plin. epp. 3, 11. — Feminarum nomina idem servavit: fuerunt *Gratilla, Arria, Fannia.*

una victoria etc. unum, quum A. moreretur, virum bonum accusatione sua perdiderat; nondum, ut nos vidimus, permultos. *Censebatur* i. q. aestimabatur, famam contraxerat.

intra Albanam arcem erat haec villa eaque tam cara Domitiano, ut eam pro arce haberet. Juv. 4, 145. *quos Albanam dux magnus in arcem traxerat attonitos.* cf. Plin. epp. 4, 11, 6. Sita erat ad montem Albanum.

tentia Messalini strepebat, et Massa Bebius jam tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus: nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos jussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et adspici: quum suspiria nostra subscriberentur; quum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille

---

Messalini fuit in crudelissimis delatoribus. Plin. epp. 4, 22, 5. *Non verebatur, non erubescebat, non miserebatur*, etc. Juv. l. l. 113 sqq. — sensus: nonnisi tum intra arcem Albanam audebat M. accusare, non, ut deinde, publice.

Massa Bebius et ipse delator nequissimus, jam sub Vespasiano hujus artis studiosus, H. 4, 50. jam tunc optimo cuique exitiosus et in causas malorum, quae mox tulimus saepius redituras. — Quomodo fuerit damnatus narrat Plin. epp. 7, 33. 3, 4. 6, 29.

Helvidium i. filium ejus, quem supra c. 2. Tac. commemoravit. In ipso senatu ei manus injectae; v. Plin. 9, 13. Suet. Dom. 10.

Nos M. R. visus ita uterque Vat. et edd. vett.; in marg. Vat. A. *nos Mauricium Rusticumque divisimus*, quae scriptura et ipsa bonum sensum praebet et a Brot. recepta est. Suspectum enim est voc. *visus* pro adspectus et eodem prorsus sensu vix alibi obvium. Sed Tacitus multa nova protulit et indulget substantivis ita formatis. Ceterum est in his vv. syllepsis: nos M. R. visus (quum alter ab altero, fratres enim erant, distraheretur) *horrore perculit*, sanguine S. nos perfudit. Vid. Rudimann. inst. 2, p. 362. ed. Stallb. — Junius Mauricus *quo viro nihil firmius, nihil verius* Plin. epp. 4, 22. in exsilium missus est a Domitiano. De Rustico supra c. 2.

quum subscrib. a speculantibus et delatoribus clam notabantur, qui lacrimis vel gemitu saevitiam principis incusarent. DR. cf. Suet. Aug. 27. ibique Bremi de v. *subscribendi*.

vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. —

Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis: ut perhibent qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti; tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque ejus, praeter acerbitatem parentis erepti, auget moestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus: nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus es. Omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore, superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrimis comploratus es, et novissima in luce desiderave re aliquid oculi tui.

---

et rubor Plin. P. 48. *Femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.* Suet. D. 18.

pro virili port. Cicero: *parte.* cf. clav. Schütz.

innocentiam principi donares i. e. ut quantum in te esset, demonstrares, Domitianum esse innocentem; libenter enim moriebatur.

excepissem, sic in libris; vulgo inde a Pichena *excepissemus.* — Ad rem cf. *Il.* ω, 744.

amissus es jam enim quatuor annos Tac. cum uxore Roma aberat.

superfuere i. e. abunde suppetebant. Germ. 6. *ne ferrum quidem superest.* v. Passow. (nos: übrig daseyn.) *superare* eod. modo *abundare*, Cort. ad Sall. 64, 1.

comploratus es sic Vat. A.; in marg. autem ut omnes edd.

Si quis piorum manibus locus, si, ut sapien- C. 46.
tibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangi fas est: admiratione te potius, temporalibus laudibus, et si natura suppeditet, similitudine decoremus. Is verus honos, ea conjunctissimi cujusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim, *sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, formamque ac figuram animi magis, quam corporis, complectantur:* non quia intercedendum putem imaginibus, quae marmore aut aere finguntur; sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt; forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mi-

---

compositus, ut loquitur Hist. 1, 47. *Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus composuere.* Illud non sollicitandum.

C. 46. *adm. te potius — decoremus* in Vat.: *admiratione te potius, temporalibus laudibus, et si natura suppeditet militum decoramus.* Inde Gronov. nostram lect. concinnavit. Male intruserunt Bipp. *quam*, nec minus recte explicarunt. *Temporales laudes* intellige de hac ipsa vita Agricolae, a Tacito conscripta. cf. Cic. Tusc. 1, 15. Ennii epitaphium: Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu Faxit, cur? volito vivu' per ora virum.

formamque in Vat. A. *famamque;* sed sequitur statim: *forma mentis aeterna.*

intercedendum proprie de tribunis plebis; h. l. ad imagine transfertur, quas fieri vetet aliquis.

rati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

---

manet mansurumque est formula solennis. Vell. 2, 66, 5. *vivit vivetque per omnem seculorum memoriam.* Bentley ad Hor. od. 2, 2, 7. Drakenb. ad Liv. 39, 40.

EXCURSUS
DE VEXILLARIIS.

Omnes VV. DD., qui vel de militia Romana scripserunt, ut Salmasius, Lipsius, aliique ex recentioribus; vel Tacitum aliosque aevi argentei scriptores, uti Gronovius et Ernestius ad Tacitum, Schelius ad Hyginum, Stewechius ad Vegetium, explicaverunt, ipsorum de *Vexillariis* sententias proposuere: nullus tamen, qui omnibus persuasisset ac rem acu, ut ita dicam, tetigisset, adhuc inventus est. Alius enim alius sententia rejecta vel plane novam, vel certe ex parte immutatam sibi proponendam duxit, ita ut, prouti vel hunc vel illum inspicias librum, vel haec vel illa de iis tradita reperias. Quae res quum in Tacito legendo et explicando me saepe turbasset, mecum constitui, ut locis, quoad fieri posset, omnibus inspectis interque se comparatis, litem illam tam diu motam necdum diremtam aut componerem, aut, sin id minus cessisset, saltem pro virili ad eam aliquando componendam conferrem. Multa enim sunt in antiquitate ob mancas, quae de iis supersunt, notitias, tam obscura, ut ad liquidum perduci nullo modo possint; multa tam incerta et vaga, ut aliquatenus fortasse explicari, minime tamen extra dubitationem poni possint; multa denique nostris moribus tam parum consona, ut ea ipsa res saepe nobis sero natis fraudem fecerit multosque interpretes in errores induxerit turpissimos. Quibus in rebus saepe satius est fateri, nos caecutire ac rem non posse dilucidari, incertaque esse ea, quae sciamus, quam vanis conjecturis indulgendo falsa excogitare eaque comminisci, quae nunquam in rerum natura exstiterunt.

Auctores e im veteres, quum de rebus, ipsorum aetate usitatis omninoque in vulgus notis exponunt, rebus ipsis breviter nominatis, pergunt ad ea, quae narrant, in iisque accurate ornateque eloquendis operam et graviorem et laudabiliorem ponunt; atque ut auctor quisque gravissimus atque brevissimus est; ita maxime, quae non ad rem pertinent, vitat atque aspernatur. Sic hodie quoque, si qui scriptor, quum de rebus gravissimis exponeret, immisceret explicationem vestimentorum, armorum, aliarumque id genus minutiarum in vulgus notarum, ineptus, ne dicam, insulsus audiret; nec immerito. Perinde res se habet in veterum libris, perfectis illis omnique laude superioribus. Scripserunt aequalibus suis, non nobis; quae illi primo intutu intelligebant; eorum sensus nobis saepe multis e locis congestis comparatisque eliciendus. In commentationibus, quae ea re oriuntur, hoc videndum est, ne praeconceptae opinioni temere accedamus; ne, quae alii in rebus dubiis protulerunt, nisi iterum excussis, credamus; ut potius, ex ipsis antiquorum librorum limpidis fontibus haurientes omnesque undequaque locos congerentes, sobrie ac diligenter, quid fuerit, quid non, dispiciamus.

De vexillariis, ut ad hos veniamus, septem circumferuntur VV. DD. sententiae, quae vel propius a se absunt, vel longius inter se recedunt; quas, in quatuor, ut ita dicam, classes, ne lectoris judicio officiatur, digestas, ordine recensebo.

Lipsius, ut vir peritissimus sic meritissimus in iis, quae antiquitates Romanas spectant, reliquorumque eadem via insistentium coryphaeus, duas de vexillariis proposuit sententias; alteram ad Tac. Ann. 1, 17. quam repetiit in libro de militia Rom. I, 8. et V, 19. hanc quidem: *vexillarios fuisse veteranos, qui stipendiis peractis, i. e. vicesimo militiae anno absoluto, sub vexillis haberentur, donec praemium et emerita acciperent;* alteram ad H. 2, 100. eandem, quam, quos in secunda pono classe, viri amplexi sunt.

In ea colloco Pichenam in commentario ad Tacitum p. 15; Gronovium ad Tac. Agric. 18; Schelium ad Hyginum p. 35. (qui tamen ita loquitur, ut superiorem Lipsii de veteranis sententiam non omnino improbare videatur), et Francogallos Brotierium et le Beau. Qui viri vexillarios *non unam aliquam le-*

gionem statuerunt; *sed de singulis legionibus idoneam et sufficientem manum, ut, licet multi numeri per castra et praesidia abessent, eadem tamen summa legionum constaret;* sive, ut Pichenae verbis utar: *vexillarii fuerunt pars legionariorum militum, qui a sua legione abessent; vexillarii autem appellati sunt, quia ab aquilis legionum separati, sub vexillis propriis militarent.* Veteranos fuisse negat ac pernegat; quos le Beau non excludit, dicens *veteranos quoque et legionarios fuisse, ad certum usum delectos.* Brotierius *et veteranos et tirones et alios quoscunque militum, qui sub signis, sine aquilis, sed cum vexillis mitterentur,* intelligendos censet. Lipsius autem, loco supra laudato *sciendum est,* inquit, *dupplicia vexilla videri illo aevo fuisse; prius e veteranis; alterum ex electione, in necessitate aliqua aut bello: quum ipsae legiones et aquilae in castris aut provinciis relinquebantur, certa manu decerpta, qui sub vexillo mittebantur; hi tales, vexillarii et e tali legione, dicuntur.*

Tertiae classi adscribo unum Ernestium, qui in excursu ad Tacitum haec tria invenisse, argumentis stabiliisse, adeoque rem diremisse sibi videtur; primum fuisse *vexillarios peculiare genus militum* sive *peculiarem militiae gradum;* deinde *legionarios milites* fuisse; denique fuisse *tirones, eosdemque, qui olim Hastati fuerint.*

Quartam classem efficiunt Salmasius (in Graevii Thes. A. R. Tom. X, p. 1428.) et Francogallus Dureau de Lamalle. Ille *levis armaturae milites* intelligit, id ex uno Tac. loco male intellecto, eodem, qui, ut videbimus, Ernestio quoque fraudi fuit, colligens. Legitur H. 2, 66. *Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. Sparsae per Italiam hostilia loquebantur: praecipua quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant, quippe acie Bedriacensi, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non adfuisse.* Hic autem nova insistit via, *primas singularum cohortium centurias, vexilli custodes,* dici putans *vexillarios; eorumque rationem in praeliis eandem paene fuisse, quam nostra aetate eorum, quos Francogalli appellent Grenadiers.*

Plurimos viros doctos sequi Gronovium patet, eorumque sententiam infra pluribus adstruemus; cum Ernestio nemo fecit; cur, sequentia docebunt. Minus etiam Salmasii sententia de

levis armaturae militibus probata est, explosa illa et satis accurate jam diu ante nostra tempora refutata a Schelio in notis ad Hygin. p. 35. cujus haec vv. sunt: *non ajunt vexillarios vilem et levem manum, sed negant vires legionis esse; quamvis enim veterani, ex alia tamen legione et tam pauci numero erant, ut nihil ad totam legionem.* — Sic Ernestius quoque eum refutavit in excursu, quem dixi, ubi docte monstrat velitum usum in pugna longe alium fuisse, quam ut ea, quae in aliis Taciti locis munia vexillariorum dicantur, de iis apte intelligi possint.

Sententiam a Lamallo propositam, Oberlinus per se non improbabilem censet, ipse tamen ex hac causa rejicit, quod sic ex parte saltem in istis vexillis vires legionum fuerint, quibus tamen H. 2, 60. (v. supra) diserte opponantur. Quo loco nihil probari jamjam innuimus eumque alia ratione intelligendum esse, deinde pluribus demonstrabitur. Melius sine dubio opposuisset H. 2, 83. ubi *tredecim millia vexillariorum* commemorantur, quem numerum illis centuriis non effici me non monente liquet. Omninoque hac explicatione nil lucramur, quoniam, quae vexillariorum esse dicuntur, illa proposita apte explicari nequeunt.

Levioribus his absolutis transeamus ad graviora; examinemus Lipsii, quam priorem posui, sententiam, expositam ab eo ad Ann. 1, 17., confirmatam ejusd. libri c. 38. Tota illa Taciti narratio de seditionibus Pannonicarum et Germanicarum legionum inde a c. 16. primi libri maxime huc facit eamque, quatenus ad rem nostram pertinet, succinctam hic subjecturus sum.

Nullis novis causis seditiones has motas tradit Tacitus: mutatus princeps et spes praemiorum ex bello civili unae, jam saepius illae a militibus arreptae, erant. Nam quum ob Augusti mortem intermissis solitis muniis laboribusque miles lascivire, laborem ac disciplinam aspernari coepisset, Percennius quidam, quum animos commilitonum ad seditionem satis compositos videt, hortatur eos, ut jugum excutiant: *satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent; ne dimissis quidem finem esse militiae; sed apud vexilla retentos, alio*

vocabulo eosdem labores perferre. Dicunt igitur primum *se alio sub nomine* i. e. ut Lipsius et Oberlinus recte exponunt, *vexillariorum nomine* eosdem labores perferre; deinde queruntur, quod supra viginti annos in exercitu retineantur; quod inde ab eo tempore i. e. quum dimissi praemia exspectent, ipsis sub vexillo stipendia facienda sint; denique, promissam immunitatem laborum non servari, moleste ferunt. Hae iis causae sunt, cur novas res moliantur. — Eodem capite, ut ista tam injusta, tam intolerabilia tandem cessent, suadet Percennius: *ut certis legibus militia ineatur, ut singulos denarios mereant, sextusdecimus stipendii annus finem adferat; ne amplius sub vexillis teneantur, sed iisdem in castris praemium pecunia solvatur.* Ultimis verbis innuitur, eos vanis promissis elusos eoque modo, dum praemia exspectarent, decem ac plures etiam annos sub vexillis habitos esse. — Quod Percennius commilitonibus suasit, id in sqq. Clemens centurio Drusum, a Tiberio ad motus sedandos missus, poscit: *ne veterani sub vexillis haberentur.*

Quae legionibus Pannonicis causa seditionis fuerat, eadem eodem ferme tempore Germanicis quoque fuit. Quae ab illis, ea ab his quoque opprobrantur; quae illi, ea ipsi quoque flagitant, cicatrices, verberum notas ostentant: *atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant.* Ut quodammodo sedarentur, placuit litteras nomine principis componi, quibus *missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari, qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis* scriptum erat. Eam immunitatem perquam antiquam esse docet Liv. 7, 7. *immunes quoque operum militarium erant* (cohortes Hernicorum), *ut in unum pugnae laborem reservati, plus quam pro virili parte adnitendum scirent.*

In loco superiori queruntur, *quod ne dimissis quidem missio detur;* in hoc quia post missionem diu retinentur, orant finem exercitae militiae; requiem non inopem i. e. ut terrae et urbes, quibus sedem fortunarum figant, ipsis assignentur; igitur missio datur; exauctoratio conceditur, ita tamen, ut sub vexillis adhuc maneant, donec vigesimo anno praemiis acceptis dimit-

tantur; idque de parte eorum fieri sqq. ostendunt. — Hos igitur jam inde ab septimo decimo anno vexillarios fuisse manifestum est, uti in Pannonia inde a vigesimo erant.

Ex his locis Lipsius, quum libera rep. una tantum eaque honesta missio fuisset, sub imperatoribus dupplex missionis genus receptum esse colligit. „Exauctorationis, inquit, ea vis, „ut e. g. legio aliqua sacramento solveretur, signis aquilaque „ademptis, non tamen dimitteretur protinus, sed. seorsim in „exercitu ageret sub uno aliquo vexillo. At plenae missionis „effectus, ut statim praemiis acceptis domum dimitterentur." Eum morem (exauctorandi atque exauctoratos adeoque dimissos sub vexillis habendi) bono fisci inventum esse, idem auctor est appositeque laudat duos Suetonii locos, alterum Tib. 48. *atque etiam missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans;* alterum Calig. 44. *in exercitu recensendo plerisque centurionibus, maturis jam et nonnullis ante paucissimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos ademit, caussatus senium cujusque et imbecillitatem.* Ea recte habere, quae de fisco dicit Lips., cujus bono iste mos inventus sit, monstrant etiam ea, quae supra a militibus postulata vidimus *ut in iisdem castris praemia solvantur;* fere enim promissis, quibus deinde non stabatur, pascebantur. Simul id manifestum est, diu ultra vigesimum annum retentos fuisse, ut recte illi *in* Germania et Pannonia queri potuerint, se tricena et quadragena stipendia meruisse.

Quae quum ita sint, videndum erit, num ex duobus illis Taciti locis supra allatis ea erui possint, quae Lipsius *inesse* contendit, *tempore Caesarum dupplex missionis genus receptum esse, exauctorationis et missionis; exauctoratos autem s. veteranos vexillarios fuisse* Ad prius quod attinet vereor, ne nimium dicat, quum, quod illis legionibus, idque litteris suppositiis ad tempus concessum est, id tum temporis vulgarem rationem factam esse contendat. Eumque usum horum vocabulorum tantum abest, ut ullis vel aliorum scriptorum vel Taciti comprobatum videamus locis: ut potius voces *dimittendi* et *exauctorandi* plane eadem potestate videas adhibita e. g. apud Sueton. Aug. 24. *Decimam legionem contumacius parentem, cum ignominia totam*

dimisit: item alias, immodeste missionem postulantes, citra commoda (emeritorum praemiorum) exauctoravit. Tib. 30. *Neque tam parvum quidquam, neque tam magnum, publici privatique negotii, fuit, de quo non ad P. C. referretur. De vectigalibus ac monopoliis — etiam de legendo vel exauctorando milite etc.* ubi, quin etiam *dimittendi* vocabulo uti potuisset, non dubium est. Uti Suetonius in priore loco, sic Tac. orationis variandae causa utramque vocem adhibet; id tamen extra dubitationem positum est, alios inde a sexto decimo anno, alios supra vigesimum adeo stipendiorum annum retentos fuisse apud vexilla.

Alterum autem, vexillarios fuisse veteranos id partim falsum, partim verum est: verum, quod veterani sub vexillo fuerint; falsum, quod soli, quodque aliud quasi genus vexillariorum, atque alii milites effecerint. Etenim antequam illae seditiones moverentur, jam fuisse, qui sub vexillis haberentur, veteranos, iidem illi loci docent; tamen eo ipso tempore etiam alii legionariorum militum vexillarii fuerint necesse est; quod, ni esset, Clemens centurio, a commilitonibus ad Drusum missus non fuisset dicturus in eum modum, quo eum loquentem facit Tacitus. Drusus enim quum patris litteras recitavisset, *responsum est a concione, mandata Clementi Centurioni, quae perferret. Is orditus de missione a sedecim annis: de praemiis finitae militiae: ut denarius diurnum stipendium foret: ne veterani sub vexillis haberentur.* Reliqua promiscue pro omnibus postulari vides; in ultimis vv. diserte appellat *veteranos.* Qui si excipiuntur, id ipsum dicit, alios posse; modo ne veterani habeantur sub vexillis. Quod si uni veterani vexillarii fuissent, cur, quaeso, illud disertis verbis adjicere opus erat? Nonne Tacitus, ut solet, si nemo alius, nisi veterani vexillarii fuissent, vocabulo veteranorum suppresso, orationem, uti inceperat, continuaturus fuisset? Magis etiam, hoc ita esse probat locus Ann. 3, 21. *tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias* (a quibus antea Romana cohors fugata erat) *praesidium, cui Thala nomen, aggressus, fuderint.* Cur, ni etiam aliorum erant vexilla, hoc tantum loco adjecisset *veteranorum* nomen? Eodem redit locus Ann. 1, 39. *Duae ibi* (ad Aram Ubiorum) *legiones, prima et vicesima,*

veteranique, nuper missi sub vexillo, hiemabant. Qui his praecedentia legit, easdem esse legiones sciet, quae paulo ante, praemiis flagitatis, turpi agmine fiscum Caesaris secum traxerunt. Jam quaero, quinam illi veterani sub vexillo missi alii fuerint, atque illi paulo ante ex quatuor legionibus exauctorati? Num isti veterani ad aliquam expeditionem missi sunt? Minime vero. Num sub propriis vexillis militant? Militant. Num, antequam exauctorabantur, sub vexillo fuerunt? Vix affirmes; dicuntur enim *nuper missi*, i. e. eo tempore, quo seditione sedata turbarum concitatores, ne in iisdem cum reliquis manerent castris, ad Aram Ubiorum ablegati sunt. Tamen hi ipsi loci, quod Lipsius quoque voluit, ab aliis VV. DD. acrius, quam debebat, refutatus, praecipue veteranos in vexillariis fuisse, demonstrant. Mirum enim esset, toties appellari veteranorum vexilla, raro aliorum; toties iis tribui, quae veteranorum sunt, nusquam aliis; toties componi in Tac. vexillarios atque electos, i. e. optimum quemque, nunquam alios milites. De hoc inprimis, ut quod in hac commentatione gravissimum est, infra pluribus loquemur; nunc hic consistamus, ut, quae modo innuimus, curiosius exponamus ac locis allatis stabiliamus.

Ac primum sciendum est, *veteranos* manum per se efficere neque in legionibus conjungi cum reliquis. H. 2, 11. *Ipsum Othonem comitabantur lecta speculatorum corpora, cum ceteris Praetoriis cohortibus, veterani e Praetorio, classicorum ingens numerus.* Isti veterani signum secuti sint, necesse est; quod igitur esse potuit nisi vexillum? Ib. 96. *exauctorati Praetoriani* ib. 3, 21. *Praetorianum vexillum*, quod haud scio an constiterit iisdem illis, quos supra veteranos e Praetorio appellatos vidisti. Deinde, ut quibus in rebus maxime vexillariorum usus fuerit, paucis adstruamus, 1) pluribus in locis *praesidia agitare* dicuntur; id in eo loco fuit, quem supra laudavi; id reperimus in Ann. 1, 38. *At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum.* Qui locus, utrum spectet ad veteranos an ad alios quoscunque milites, jure in medio relinquitur; potuisse esse illos vexillarios ex numero veteranorum patet; nam etiam ante illam a Germanico institutam exauctorationem fuisse veteranos vexillarios,

evincitur ex iis, quae ipsi clamant: *apud vexilla retentos eosdem labores perferre*. Quod quum queruntur, ipsis quoque immunitatem reliquorum laborum promissam quidem, parum autem praestitam esse significant; monstrant id quoque, ejusmodi munia, ut praesidiorum agitandorum, ipsis quam maxime convenire; nil enim laborum exhauriendum iis erat, nisi ut hostem, si qui forte adventasset, reprimerent. Conferamus etiam Agric. 32. Galgacus in oratione sua adhortatur Britannos ut fortiter pugnam capessant; victoria enim reportata nil ultra ipsis timendum: *vacua castella, senum coloniae*. „Per contemtum sic appellat veteranos, qui fere in municipiis collocabantur" adscribit Ernestius explicandi causa. Omnino recte; tamen, quod mireris, in excursu suo his contraria docet: ad ejusmodi munia adhiberi solitos esse tirones! Trahat huc aliquis etiam Velleji locum 2, 110. *Oppressi cives Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus ad internecionem, ea in regione, quae plurimo ab imperatore aberat, caesus, occupata armis Macedonia*. Utrum isti vexillarii praesidia in remotioribus illis regionibus agitarint, nec ne, diserte non dicitur; valde tamen credibile est; in pacata enim provincia, ad quam expeditionem bellicam missi esse poterant? Pro veteranis quodammodo etiam locus Sueton. Galba c. 20. facit: *vexillatio Germanicianorum in auxilium advolavit, ob recens meritum, quod se aegros et invalidos valde fovisset*. Vocabula haec commodius ad veteranos *senio confectos, truncatos corpore vulneribus* (ipsorum vv. sunt apud Tacitum) referri, vix aliquis infitias eat; tamen non tantum tribuerim h. l., quantum alii. 2) Praesertim in gravibus casibus, ubi cito et efficaci auxilio opus est, acciuntur; ac locis, quae hanc rem illustrant, allatis, Ernestii sententiam de tironibus magis magisque labefactatam ne dicam plane infractam videbimus. H. 3, 48. leguntur haec: *advertit ea res* (caesam cohortem et barbaros contemtim vagari) *Vespasianum, ut vexillarios e legionibus, ducemque Virdium Geminum, spectatae militiae, deligeret*. Ann. 4, 73. *Quod* (Frisios moliri res novas) *ubi L. Apronio, inferioris Germaniae propraetori, cognitum, vexilla legionum e superiore provincia peditumque et equitum delectos accivit*.

Haec loca probant 1) vexillariorum nomen abiisse tum temporis in nomen proprium neque quoscunque e legionibus delectos et aliquo missos intelligi posse; uno verbo, esse vexillarios certum militum genus; 2) eos acciri in gravibus casibus, ubi imperatori exercitato milite opus est; adjici iis non quoscunque auxiliarium, sed *delectos s. electa auxilia;* 3) praeponi iis non primum quemque, sed viros spectatae militiae. Quid quod Agric. 18. ipsum Agricolam *cum vexillis legionum contractis et modica auxiliorum manu* Ordovices aggressum esse eosque fugasse legimus.

Jam ex te quaero, lector erudite, num ea, quae vides vexillariorum esse, magis tironum quam veteranorum fuisse, tibi persuaderi patiaris? Agricola cum legionum vexillis et paucis auxiliarium Ordovices devincit; id cum tironibus, quos Ernestius ipse militiae assuefaciendos pronuntiat, eum fecisse putaveris? Illic, in turbis maximis, ubi barbari caesa cohorte naves aggrediuntur; illic, ubi Frisii turbant, maximumque rebus Romanorum imminet periculum, tirones, qui ea componant, acciuntur? Num, id fuisse, animum inducas? Num ejusmodi negotia aliis in locis tironum fuisse meministi? H. 2, 24. ubi aciei dispositio describitur, *tertiae decimae legionis vexillum, quatuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro cornu* collocantur; *in dextro prima legio* incedit *cum duobus auxiliariis cohortibus et quingentis equitibus.* Illud igitur vexillum pro integra legione esse cernis; quodsi isti vexillarii non fuere validi ac strenui milites, uti veterani, vix satis aequalem dicas illam aciem atque firmatam.

At enimvero, qui cum Ernestio in excursu; qui cum Pichena, Lipsii de veteranis sententiam refutante, faciunt, exorientur atque objicient, quem ille excitavit locum Tac. H. 2, 66. *Angebat Vitellium victarum legionum haud quaquam fractus animus. Sparsae per Italiam hostilia loquebantur: praecipua quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant; quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non adfuisse;* addent fortasse, quem ille oblitus est afferre ib. 18. *Certum erat Spurinnae, necdum venisse Caecinam, nec tris cohortes praetorias et mille vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui* (Caecinae e Germania advenientis) *objicere.*

Ad priorem locum quod attinet, supra Schelii vv. attuli; quibus ea non prorsus satisfaciunt, mecum inspiciant locum ipsum, ubi pugna Bedriacensis describitur, c. 41—43. Facie pugnae adumbrata sub finem descriptionis haec adjiciuntur: *parte alia propulsa quintanorum impetu tertiadecima legio: circumventi plurium accursu quartadecimani.* Haec vv., si quid video, hoc docent, illos multitudine victos esse. Nam tertiadecima legio, quae et ipsa ab Othonis partibus dimicat, *impetu* prosternitur, haec autem, (quae, quantum ex verbis Taciti colligere licet, tota est,) *multitudine.* Ergo vv. supra commemorata quartadecimani vel dedecus, illa pugna contractum, a se remoturi jactant; vel, quanquam non vere, tamen ex ipsorum sententia, totam legionem adfuisse negant. Quod enim Pichena vult, vexillarios, quos quartadecimani illa acie pulsos dicant, fuisse duo illa millia, quae supra c. 11. ex ipsorum legione *praemissa* esse scribuntur; ea non possunt esse ideo, quod illos ex quatuor legionibus, VII, XI, XIII, XIV, non ex una XIV, lectos esse, diserte auctor noster c. 11. his vv. dicit: *Laeta interim Othoni principia belli, motis ad imperium ejus e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. Fuere quatuor legiones: e quibus bina millia praemissa; ipsae modicis intervallis sequebantur.* — Quoquo igitur intelligas modo: ea, si quid video, quae Ernestius ex hoc loco elicuit, vix alius quis extundat; multitudine enim nimia vel fortissimum, non tantum tironem vinci posse, saepeque victum esse, quis est, qui neget?

Eodem modo res se habet in altero loco: veteranus exercitus multis e legionibus, quae multos jam annos in Germania stipendia meruerunt, constat; eum exercitum habet Caecina; Spurinna autem, paucitate suorum considerata, pugnam, ut par erat, sibi vitandam censet.

Huc accedit illud quoque: si uni tirones vexillarii sunt, quid est quod diserte et prorsus contra Taciteam brevitatem Ann. 2, 78. scriptum videamus: *trajectisque in continentem navibus vexillum tironum in Syriam euntium Piso intercipit?* Supra *vexillum veteranorum*, h. l. *tironum* neutris proprium fuisse id miliium genus, abunde arguunt.

Hic etiam locus est, de iis, quae Pichena ad infringendam Lipsii sententiam eam, qua veterani defenduntur, attulerit.

Etenim vidimus quidem, Lipsium non posse omni ex parte defendi: tamen neque Pichena iis argumentis utitur, quae rem dirimant, atque, in vexillariis non fuisse veteranos, evincant atque extra dubitationem ponant. Primum enim quod ponit: *a Tacito nunquam veteranos appellari vexillarios aut aliquid dici de iis, unde id suspiceris*, ea non sunt vera et partim refutata iis, quae supra disputavimus; partim demonstrant loca ipsaque Taciti verba, ut Ann. 1, 17. ubi exauctorari videmus veteranos, retineri autem alio nomine; deinde ea iis tribuuntur, unde id suspiceris (v. p. 92). Tum Pich. *nimis magnus*, inquit, *vexillariorum numerus commemoratur, quam ut omnes veterani sint; quid enim? nonne* H. 2, 83. *XIII. millia vexillariorum commemorantur? Si veterani omnes, quae vires illis resistere potuissent? Ac tot simul sub vexillo retenti dum agros et praemia exspectarent, quas turbas ac seditiones suscitavissent, ea efflagitando, corruptissima praesertim disciplina?* Quae, speciosissima ut sunt, fortasse lectori imponant, eique veritatem hujus argumenti persuadeant; attamen, ut Pichena, quum ita scriberet, totius loci meminerit, vehementer vereor. Evolve mecum seriem narrationis. In oratione, qua (c. 76.) Mucianus Vespasianum adhortatur, ut Vitellio pulso se imperatorem faciat, novem Vespasiano dicit esse legiones, *firmatum usu militem* et *belli domitorem externi*. Deinde, quum Vespasianus, illis adhortationibus permotus, imperium capessit, Beryti (c. 81.) consilium habetur. *Illuc Mucianus cum legatis tribunisque et splendidissimo quoque Centurionum ac militum venit; ex Judaico exercitu lecta decora. — — Prima belli cura agere delectus: revocare veteranos. Quippe* (supra c. 80.) *et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti* etc. Quibus lectis consideratisque, maximam partem illorum vexillariorum veteranos esse potuisse, num tibi incredibile videtur? Undequaque, ex omnibus provinciis Asiaticis revocabantur veterani; praesidia urbium oppidorumque contrahebantur; sequebantur Mucianum *ingenti agmine;* quid in his mirum, quid incredibile? Aliter enim res se habet, quum tantus numerus libenter ac sponte parens, rebus imperatoris studet eique favet (cf. Suet. Vesp. 15. *assensere cuncti nomenque ejus vexillis omnibus sine*

mora inscripserunt); aliter, si tantus veteranorum numerus, voluntatibus eorum ac studiis dubiis, in unum contrahitur. Tamen neque Lipsius ipse, si adesset, certo scio, hos vexillarios ad unum omnes veteranos esse dixerit; satisque sibi cavit eo, quod alteram simul sententiam multis in locis unice valere non negarit. Legiones illae novem integrae ac plenae sunt, justoque militum numero constant; jam acciuntur veterani, praesidia oppidorum aliique milites, qui nulli legioni adscripti sunt; qui quum ad nullos pertineant, neque, uti legionem oportet, sub aquila, sed, ut singulas centurias, manipulos adeoque cohortes decet, sub vexillis congregantur, eaque sequuntur: ipsi omnes nomine vexillariorum comprehenduntur.

In tertio et quarto argumentorum ejus non est, quod diu haereamus; supra iis defuncti sumus. Quintum autem *immunitatem vexillariis concedi, tamen praesidia agitare* nullum plane est; illa enim laborum immunitas eo ipso modo iis praebebatur.

Duo hactenus demonstravi: a) veteranos multis in locis, quibus vexillariorum mentio fiat, non solum intelligi posse, sed etiam intelligi debere, omninoque dubitari non posse, quin veterani, licet non omnes nec ubique, stipendiis exactis, seorsim sub vexillis remanserint: tamen, qui est Lipsii error, falsum esse, quum, quasi alii sint, distinguantur a reliquis vexillariis; communius enim nomen esse nec uni veteranorum ordini peculiare; imo quosque militum, tam veteranos, quam tirones (veteranorum et tironum vexillum in Tacito legi meminerimus) quum vexillum sequantur, vexillarios appellari. b) Falsam esse Ernestii sententiam de tironibus, quippe quae commodis prorsus destituatur argumentis.

Hoc tamen loco attentus, si qui mihi obtingit, lector, quid narras? inquiet. *Vexillum militum* et *vexillarios* ubique confundis et, quasi eadem sint, promiscue nunc de vexillo, nunc de vexillariis loqueris. Si tibi credi vis, proba, rem ita se habere. Quae res, etsi magna eruditionis atque lectionis mole demonstrari possit, tamen, ne opella haec nimis accrescat, usus Latinorum ipsiusque Taciti admonuisse, satis habebo: Tac. H. 1, 20. *Exauctorati per eos dies e Praetorio Antonius Taurus et An-*

tonius Naso; e vigiliis Julius Fronto. Praetorium h. l. pro praetorianis; *vigiliae* pro vigilibus dictae; id quod, teste Ernestio, Perizonius in libro, quem de Praetorio scripsit, (mihi enim libri inspiciendi copia non fuit) abunde demonstravit. Sic ib. 3, 22. *vexilla trium Britannicarum legionum* leguntur; eademque *vexilla* 2, 100. *vexillarii trium Britannicarum legionum* audiunt. Plura, qui cupiet, adeat Perizonium et Pichenae commentarium p. 16.

Atque sic ad alteram disputationis nostrae partem perventum est. In priori enim, quid vexillarii non essent, quaeque doctorum virorum de iis sententiae minus recte habere viderentur quum demonstrare anniteremur: superest, origine eorum, quantum fieri potest, indagata, quid nobis statuendum videatur, ut paucis dispiciamus. Quod enim Gronovius, Pichena et Brotierius contenderunt, *vexillarios esse singulas legionum partes ad certum usum decerptas*, id auctoritate Lipsii, haec quoque vera esse non negantis, non tantum non refellitur sed confirmatur et stabilitur.

Ac ne longus sim, iis quae nobis historia de signis Romanorum exercituum suppeditat, breviter commemoratis, rem ipsam conficiamus.

Totius legionis signum inde a Marii secundo consulatu, quum antea lupi, apri idque genus animalia praelata essent, teste Plinio, *aquila* facta est. Manipuli autem singuli habebant *signa*, paulatim transformata ex manipulo foeni, quod in conto sublatum singulis ordinibus, quibus inde nomen manipulorum inditum est, praeferri solebat. *Signa* ipsa accurate describit Lips. de Milit. Rom. IV, 5, p. 168. — *Vexilla*, vela minora, lintea, e conto suspensa, variique coloris primis temporibus equitibus tantum propria erant. Semper autem auxilia Romanorum a primis usque ad ultima tempora sub vexillis meruerunt, e. g. Liv. 25, 14. *cohortis Pelignae praefectus adreptum vexillum trans vallum hostium trajecit.* Tac. Agr. 36. *Agricola dimisso equo pedes ante vexilla constitit.* Tota autem haec acies constat auxiliaribus, Tungris, Batavis, Britannis. — Satis tamen antiquis temporibus, sive ab equitibus, sive, quod verum puto, ab auxiliaribus, usus vexillorum, ut minores numeri, quam qui signis, veluti centuriae, iis discernerentur, ad ipsos Romanos

transiit. Quod quum factum esset, jam non anxie *signa* et *vexilla* discernuntur a scriptoribus, ita ut Livius promiscue dicat e. g. et *signa efferre* et *vexilla efferre*, ut demonstrat 10, 19. *Volumnius signa canere ac vexilla efferri e castris jussit;* ad quem locum Dukerus nubem exemplorum collegit, quibus demonstraret, quae h. l. *vexilla*, ea in aliis dici *signa*. Propius tamen ad Taciti usum, quo interdum vexillum manum quadringentorum vel quingentorum complectitur, accedit locus Caesaris, B. G. 6, 36. *complures in castris ex legionibus aegri relicti, ex quibus, qui hoc spatio dierum convaluerant, circiter CCC. sub vexillo una mittuntur: magna praeterea multitudo calonum sequitur.* Parique modo Livio passim eo sensu supplementa ad exercitus sub vexillis missa dicuntur. Nomen vexillarii quum Livio dicitur, semper intelligit eum, qui vexilla gestat, quo sensu saepius *signifer* dicitur. De manu autem militum praesertim apud argentei aevi scriptores adhibetur nomen vexillariorum, ut apud Vellejum l. l. et Suet. Galb. 20. ubi *vexillationem Germanicianorum* commemorat; quo loco *vexillatio* i. q. conjunctio plurium vexillorum in unum corpus esse videtur. Longe autem frequentissima eorum mentio apud Tacitum; igitur non potest non, quin sub imperatoribus demum ea huic vocabulo vis, qua tum ubique adhibitum videmus, indita sit. Jam, quomodo id factum sit, probabilem rationem afferre conabor. Temporibus liberae reip. interdum fiebat, ut manus aliqua e. g. trecentorum, uti in Caesaris loco est (*vexillum quingentorum* apud Tacitum, supra habuimus), sub vexillo mitteretur. Signa enim, religionis causa e castris, nisi quum tota legio procederet, efferri non poterant; itaque, ut haberent milites, quo spectarent, vexilla manipulorum ad id sumta sunt. Jam illis temporibus admodum raro milites sub vexillis missi inveniuntur; cur, in aperto est: agebant tum temporis Romani maximam partem in gentibus hostilibus vel nondum ita pacatis, ut numerus quadringentorum vel quingentorum tuto seorsum versari posset.

Augustus autem *in re militari et commutavit multa et instituit* (Suet. Aug. c. 100.); plura etiam ejus successores. Mos veteranorum apud vexilla, dum praemia exspectarent, retinendorum, paulatim firmatus est; provinciae, in quibus milites agebant,

maximam partem pacatae; obedientesque passim turbulentae, nil tamen audentes. Poterant singuli numeri a corpore legionis disjuncti satis tuto versari; imo necessarium erat, ut *hic illic praesidia collocarentur*, ut, si qua gens timorem praeberet, ne quid novaret, statim adessent, qui ejusmodi conamina in gliscendo opprimerent. Jam qui in praesidiis collocabantur, vexillarii, quippe qui sub vexillis agerent, appellabantur; primo autem tempore ii fuerint necesse est, qui proprie et soli sub vexillis erant, i. e. veterani, qui ultra tempus dimissionis retinebantur; quod quum sensim in consuetudinem abiisset, ubi veterani deessent, alii quoque legionariorum militum ad id sumti vel potius electi eodemque nomine vexillariorum dicti sunt. Sic paulatim nomen illud magis magisque usurpari coeptum, Taciti temporibus tam vulgare redditum erat, ut pro nomine proprio esset, ac nemo amplius de origine cogitaret, omninoque quivis numeri, qui, quod persaepe fiebat, seorsum agerent, vexillarii dicerentur; omninoque in quavis cohorte (H. 3, 6. *Antonio, vexillarios e cohortibus et partem equitum ad Italiam invadendam rapienti, comes fuit A. Varius*) in quavis legione (exempla passim allata jam animadverteris) ii milites, qui ad eum usum semel adhibiti, etiam tum, quum ad suam legionem rediissent, propriis sub vexillis manerent ac vexillarii, quasi adhuc abessent, appellarentur. Dicebam modo, deficientibus veteranis etiam alios legionariorum electos esse; quo his temporibus nil usitatius, uti monstrabunt haec loca: H. 2, 14. *duodecim equitum turmae et lecti e cohortibus adversus hostem iere*, ib. 3, 50. *sufficere cohortes alaeque et e legionibus lecti, profligato jam bello, videbantur*, ib. 1, 31. *Illyrici exercitus electi Celsum ingestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutavere*, ib. 53. *vexilla inferioris Germaniae* c. 61. *inferioris exercitus electi*. Adeoque conjungitur utrumque Ann. 15, 26. *Vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto.* H. 4, 35. *Vocula exercitui suo addit mille delectos e quinta et quintadecima legionibus apud Vetera obsessis, indomitum militem et Ducibus infensum.* Ann. 15, 10. *expediri tamen itineri singula millia ex tribus legionibus et alarios DCCC., parem numerum ex cohortibus jussit* (Corbulo).

Haec loca vel maxime dubitantem convincant, electos ac deinde aliquo missos sub vexillis s. vexillarios eosdem plane esse; tamen, quod notatu dignum, potissimum vexilla in his locis auctor dicit, non vexillarios; sed etiam sic hos milites appellatos videas H. 2, 100. *Caecina partem equitum praemisit; mox vexilla IV, X et XVI. legionum; dein V et XXII. secutae: postremo agmine XXI. Rapax et I. Italica incessere, cum vexillariis* (sive, quod idem est, *vexillis* cf. 3, 22. *cum vexillis IX, II et XX. Britannicarum legionum*) *trium Britannicarum legionum et electis auxiliis.* Quum, ut supra vidimus, veterani a corpore legionis sejuncti agitent, ipsos quoque praecipue missos et amandatos esse, si qui mittendi essent, credibile est; tamen, quum fortasse non sufficerent, alii, iique optimi, electi illisque adjecti; denique soli etiam electi et a corpore legionis aliquo missi, eodem nomine dicti sunt. Ex veteranis igitur appellationem vexillariorum profectam esse, nullus dubito; tamen, quum ab initio hi soli sic appellati essent, paulatim ad alios quoque nomen eorum transferri coeptum est. Quam facili, si rem ita fuisse fingis, negotio potuerint misceri diversa illa, quae proprie fuerunt, vexillariorum genera, in promtu est; ac si multis in locis negari non posse vidimus, vexillarios vel omnino vel verisimiliter veteranos esse; tamen, id non in omnibus esse, non modo non dubito, sed affirmo atque ajo. Partim igitur verum viderunt ii viri, qui vexillum manum a legione sua discerptam dictitaverunt; modo ne, vexillarios etiam veteranos esse posse, praefracte negassent. Melius sine dubio, si cum Lipsio, utrumque ponente, fecissent. Illud autem, quod modo de electis adjeci, omnes neglexerunt; tamen id ipsum, si quid video, rem facillime explicat. Ex electis novae cohortes fiebant; iis vexillum datum, ipsi dicti vexillarii. — Quod igitur Ern. dixit, vexillarios esse peculiare genus militum (peculiarem militiae gradum vix dixerim), id sic limitari debet, ut proprie quidem illud genus militum veterani (minime vero tirones) fuerint; procedente autem tempore quum in morem abiisset, ut milites sub vexillis haberentur, ad alios quoscunque, qui eligerentur et seorsum sub vexillis essent, translatum sit.

INDEX

IN TACITI AGRICOLAM QUAE IN NOTIS

A pro ex, a proximis hi… 19.
abrumpere, per abrupt…
abstracta pro concreti…
abundantia, quo sens…
ac nunc, pro sed, au…
accendere injurias …
acrius - ultra quam …
adesse pro esse ? …
adjectiva, graec…
structa: perit…
ditus miscer…
12. pro adv…
primus 19…
admiratione …
admonere, …
adscivit ar…
aeque — a…
lae 15…
aestima…
unive…
affecta…
agere…
in …
cu…
agg…
agi…
…

…nde re-
…durare —
44. Ver-
…a (est) 7. es-
…pacti (essent)
…lsi (essent) 26.
…esset) 13. Ver-
…ubi copula est,
…voc. quidam: se-
…one 28. libertam
…
…ras 31.
…1) casuum: locus —
…4. milites — mixti 25.
…uitatem et se untopo-
…6. ostentando aut per
…9. velox ingenio, mo-
…poenitentiae 13. bonis
…adversus malos inju-
…22. temeritate aut per
…riam 41. 2) subst. et ad-
…ni: damna aestatis hiber-
…pensare 22. ne peritia
…rum circumiretur 25. —
…verbi, a) pass. pro medio:
…tincti invicem 16. b) act.
…pro medio: in praedicando 8.

…— scut…
…ediit 38. re
…et — fuisse
…s — amplectens
…a — faceret — 1
…9. ictus — amisit 1
…o, i. e. ob id 22. 28.
…dis 42. eo inopiae 28
erigi, aliqua re 18. ad
tenebras 12.
est qui c. indicat. 28.
et pro sed 3. pro etiam
universum 16. et re
et mare scrutantur 3.
que 2.
exactio tributorum 19.
ex aequo agere, quid 2
excedere eo laudis 12.
excidere causas, b…dior.
exempla i. q. exper…nces
exercere portas, me…alli.
exercitatus pro exercitus
ex facili, simm. 15.
experimenta castrorum 5.
expugnari, de viris 41.
exsequi, quid 19.
exspectare mare 18.
extremi libertatis 30.

F.

Fabius Rusticus 10.
facilis bello, (in bello 3.) 21.
facilitas temporum 3.
factiones 12.
fama secunda, gloria 38.
felicitas temporum 3.
ferocia i. e. virtus 11.
ferre libertatem, quid 31. au-
rum 12.
fidelis, de militibus 19.

B.

Batavorum cohortes 36.
Bebius Massa 45.
Boadicea 16.
Bodotria 23.
Boresti 38.
Brigantes 17. eorum oppida ib.
Britanniae descriptio 10. Britannorum ingenia 21.

C.

Caledonia 10.
Calgacus 29.
Caligulae expeditio in Britt. 13.
callidita fori 9.
capitale, sc. crimen 2.
caritas mutua 6.
castigare sc. verbis 21.
censeri, aestimari 45.
cetrae 36.
circumdare paci famam 20.
citra fidem 1. — sanguinem bellare 35.
Civica (Cerealis) 42.
classis Othoniana 7.
Claudii expeditio in Britt. 13.
Clota 23.
codicilli 40.
coelum, quid 10.
Cogidumnus, rex 14.
cohortes, sensu improprio 37.
collegae, sensu improprio 9.
comitatus, passive 40.
comitium ac forum, formula 2.
commeatus, quid 5.
commendare sanguinem 32.
comparativus, seq. quam cum positivo 4.
compertum 43.
complexus armorum 36.
compositus in arrogantiam 42.
conjunctivus, imperf. persona sec. 22. perfecti, quo sensu 4. conj. an infin. in membris relativis v. infin.
conscientia victoriae 27. defectionis 16.
consilium et praeceptum 13.
consulere, durius in aliquem 16. in commune 12.
conventus juridici in Gallia 9. i. q. consensus 12.
convexi, insurgunt 35.
copiae, quid 22.
corpora defigere aciem 34.
covinarius 35.
curare, de rebus civilibus 16.
cursare 1.

D.

decessor 7.
decora gestare 29.
defigere aciem corpora 34.
delectus an dilectus 7. agere 7. obire 13. injungere 15.
delegare 2.
delenimenta 21.
deposcere pericula 11.
deprehendi 7. deprehendere, quid 34.
Didius Gallus 14.
dierum spatia in Britt. longiora 12.
differre in melius et simm. 24.
digredi et degredi 18. in duas partes discedere 37.
dilectus v. delectus.
diminuere et deminuere 9.
disjectus i. q. dispersus. 20.
dispicere, quid 10.
diversum mare 23.
divisus, quid 9.
divortia itinerum 19.
dominari, de mari 10.
donec, c. conj. et indic. 19.
dona templorum 6.

dubia consilia 18.
ducere ludos, pro arbitrari c. ellipsi 6.
dum, cum impf. indic. 41.

E.

e, vis hujus praepos. in compositis 31. (eluctari 17.)
ellipses: ludos et inania honoris etc. 6. aestimantibus (hominibus) 18. at Britanni — rati sc. se victos 27. jamque agmina (conspiciebantur) 33. mox bella civv. (secuta sunt) 13. si gloria pateretur sc. inveniri terminum, ex seqq. intelligendum 23. unde redierat 38. sicuti durare — — ominabatur etc. 44. Verbi esse: incertum (est) 7. essem 1. velut pacti (essent) 16. donec pulsi (essent) 26. ni velox (fuisset) 13. Verbum esse, ubi copula est, persaepe. — voc. quidam: occiso Centurione 28. libertum etc. 40.
emunire silvas 31.
enallage, 1) *casuum*: locus — mixtus 4. milites — mixti 25. per caritatem et se antoponendo 6. ostentando aut per artem 9. velox ingenio, mobilis poenitentiae 13. bonis comis, adversus malos injucundus 22. temeritate aut per ignaviam 41. 2) *subst. et adjectivi*: damna aestatis hibernis pensare 22. se peritia locorum circumiretur 25. — 3) *verbi*, *a*) pass. pro medio: instincti invicem 16. *b*) act. pro medio: in praedicando 8. *c*) deponens pro pass.: comitatus 40. — *d*) temporum: hausisse pro hausurum fuisse 4. sensisset — sentiret 6. redierat — rediit 38. redempturus esset — fuisset 6. amplexus — amplectens 25. praedata — faceret — praedans 29. ictus — amisit 29.
eo, i. e. ob id 22. 28. eo laudis 42. eo inopiae 28.
erigi, aliqua re 18. acies 18. tenebras 12.
est qui c. indicat. 28.
et pro sed 3. pro etiam, et in universum 10. et reges 14. et mare scrutantur 30. et — que 2.
exactio tributorum 19.
ex aequo agere, quid 20.
excedere eo laudis 42.
excidere causas belli 19.
exempla i. q. experimenta 19.
exercere portus, metalla 31.
exercitatus pro exercitus 5.
ex facili, simm. 15.
experimenta castrorum 16.
expugnari, de viris 41.
exsequi, quid 19.
exspectare mare 18.
extremi libertatis 30.

F.

Fabius Rusticus 10.
facilis bello, (in bello 3.) 21.
facilitas temporum 3.
factiones 12.
fama secunda, gloria 38.
felicitas temporum 3.
ferocia i. e. virtus 11.
ferre libertatem, quid 31. aurum 12.
fidelis, de militibus 19.

fiducia morum, i. e. conscientia 1.
finis terrarum et naturae 33.
flumina, quid 10.
foedare ora (an fodere?) 36.
Forojulienses 4.
frons, pulchrum in frontem, sc. proficiscentibus 33.
fremere 27.
frumentum decumanum, emtum, aestimatum 19.
furtum noctis 34.

G.

genitivus, omisso substant. explicandus 9.
Germania sup. et inferior 15.
Graecae constructiones: quibus bellum volentibus erat 18. dat. pro abl. cum praepos. a: Herennio laudatus 1. scriptoribus memoratus 10. ac saepe. V. etiam sub v. *adject.*
Grampius mons 29.
gratia, diversum ab ambitio 1.

H.

habere locum 8.
habitare, sensu activo, i. q. occupare 11.
hactenus, de tempore 10.
haurire, quid 4.
Helvidius Priscus 2. 45.
Hendiadys: pulchritudo ac species 4. fide et opera 33. honore judicioque 43.
Herennius Senecio 2.
hinc — hinc, de personis 25.
Horesti v. Boresti.
hostilis exercitus i. q. hostium ex. 25.
humanitas 21.

I.

idem pro unus idemque 45.
igitur, post digressiones 13.
illicita mirari, quid 42.
impellere bellum 25. (cf. Ann. 2, 12. impulit eques postremos ac latera.)
imperfectum, inclusum plusquamperfecto 38. quid differat a plusq. 23.
implere, i. q. plane assequi 44.
inania honoris 6.
increscere 8.
incuriosus, constr. cum genit. 43.
incusare; incursare 1.
indecoris, indecorus 16.
infinitivus perf., in quibusdam formulis, 4. quomodo differat a conjunct. in membris relatt. 15. historici 38. inf. graeca ratione substantive positus: victos continuisse i. e. τὸ κατασχεῖν 18.
initia principatus 7.
injucundus i. q. asper, durus 22.
innocentiam donare alicui 45.
in praesentiam 31.
in partem virium 25.
inquisitiones i. q. delationes 2.
instincti 16. 35.
intendere animo 18.
inter patricios adscire, quid 9.
intercedere, tropice 46.
intercipere et intersepire 5. 28.
integer 4. integre, absque avaritia 7.
Intemelii 7.
interpretari famam 40. injurias 15.
intolerantia, 20.
invictus, i. q. vinci nequit 18.

invicem 16.
invidia beneficii 42.
irrevocabilis 42.
irritamenta, voc. anceps 20.
irritus, adverbial. 22. irriti hostes 22.
item pro ita 33.
jurisdictio, castrensis 6.
juxta, adv. 22.

L.

laureatae (epistolae) 18.
legati consulares, praetorii, 7. 15.
licenter i. q. per licentiam. 5.
liventia, margarita 12.
locus, mixtus al. re 4.

M.

magis, omissum a Tac. 4.
magna virtus 1.
magnus dies, quid 34.
manet mansurumque est, formula solennis 46.
manipuli 28.
manu agere 9.
manus Procuratoris 15.
mare pigrum 10. Rubrum 12.
Massa Bebius 45.
Massilia 4.
Maurus Rusticus 45.
medium, substantive, c. genit. 6. medio inter 24.
metus, active 44.
militare nomen 40. militares viri 41. ingenium 9.
mixtus cum ablatt. 25.
mobilis poenitentiae 13.
modo i. q. dummodo 15.
modus, quid 4.
Mona, insula 14. 18.
monstrari, i. q. significari, fatis 13.
moris est alicui 33. 39.
mox i. e. tum 5.
multus adverb., multus in agmine 20.

N.

namque, nam 11. 15. 21.
natura i. q. qualitas 12.
nec i. q. nec tamen 8. neque — ac 10.
nisi 6. nisi si 23. nisi quod 6.
nimius 7.
nobilis, virtus 1.
notabilis, in malam partem accip. 40.
novissime 34.
numeri i. e. cohortes 18.
nuntii, i. e. servi 43.

O.

obire, delectum, tributa, munera 13.
obruere 17.
obtendere 10.
obtinere 23.
obtusior jurisdictio 9.
occasio 18. in *occasionem* retinere 24. occ. et arte 27.
occurrere, i. e. reperiri, 2.
officiis praeponere 19. off. amicorum vitare 40.
oppugnare ultro 25.
Ordovices 18.
Ostorius Scapula 14.

P.

Paetus Thrasea 2.
paratus, quid, 6. simulatione 42. paratus magnus 25.
parsimonia provincialis 4.
patiens frugum 12.
Paullinus an Paulinus 5.
pauci numero, alterum pleon. adj. 32.

pectore auxius, opp. fronte laetus 39.
perdomare 10.
perf. conj. resp. optat. gr. cum ἄν 24. respondet aoristo 9.
peritus c. inf. 8. sc. artis militaris 22.
persona potestatis 9.
persuasio superstitionum 11.
Petilius Cerialis 8.
Petronius Turpilianus 16.
pigebit, cum inf. perf. 3.
pigrum mare 10.
piissimus 43.
placidius praeesse 8.
plusquampf., an pro impf. 6.
potius videbatur 18.
populari, sensu act. et pass. 20.
possessio, act. et passive ap. Tac. 18.
praeceptum — consilium 13.
praecipitem agi in gloriam 41.
praedicare sc. se 8.
(in) praesentiam 31.
praesumere sc. animo et cogitatione 18.
praevehi i. q. praetervehi 28.
precario praeesse 16.
principes in barbaris nationibus 12.
pro sapientia esse 6. 21. 26. pro magnifico 30. pro nobis utile 12.
procuratores Caesarum 4.
procurrere in diversum 11.
proinde quid. 32. i. q. perinde 10.
promtus 3. in aliquid 35.
pronus 1. in aliquid 6. pronus deterioribus 41.
propius 16. propior famae 6.
pugna in aperto 36.
pulchritudo ac species 4.

Q.

quaerere famam i. e. desiderare opp. interpretari. 40.
quam i. e. quam ut 25.
quanquam c. conjunct. 3. absolute 1. 12. 33. 44.
quantulum i. q. quam pauci 15
que pro ye 12. que — et pro et — et 18. que 2. que i. q quoque 17.
quidem, γέ 17.
quies et otium 21.
quisque cum plurali 3.
quod c. conjunct. 4.
quoque i. q. tamen 17.
quotiens et quoties 1.
quum, c. indic. praes. 26.

R.

rarus pro adverb. 12.
recessus famae 30.
redigere 14. 18.
relegare 15.
robur et decus 6.
rubor Domitiani 45.
rursus i. contra, αὖ 29.
Rusticus v. Arulenus.
rutilae comae, Britannorum 11.
Rutilius 1.

S.

sacerdotium pontificatus 9.
sacra Gallorum 11.
salarium Proconsulis 42.
Salvius Titianus 6.
sapientes (ironico sensu) 27.
sapientia i. q. philosophia 4. sapientiae professores 2.
satiari secreto 39.
Scaurus (Aemilius) 1.
scutula 10.
secreti (colles), deserti 38.
securus, quid 9. 43. secura jurisdictio 9.

sed omissum 37.
segniter, per segnitiem 5.
Senecio v. Herennius.
senectus, viridis et cruda 29.
separare consilia 38.
servus adjective 34.
seu — seu pro vel — vel 33.
sibi pro illi 39.
Silanus an Sillanus 4.
silentium, quid 6.
Silures 11.
sinus famae 30. de terra 23. sinu indulgentiaque educari 4.
solennia pietatis 7.
spargere bellum 38.
spatium ac coelum 10. spatium exemplorum 8.
spiramenta temporum 44.
stare sine sanguine 16.
subita belli 37.
subscribere, quid 45.
substantt. pro adjj.: asperitas frigorum 12. prosperitas rerum 18. all. 19. 21. 22. 29. 34. beneficii invidia 42.
subtilitas deest ingeniis militaribus 9.
Suetonius Paullinus 5.
suetus oriri 12.
sumere bellum 16.
super i. q. praeter 17.
superesse i. q. abunde suppetere 45.
supergredi i. q. superare 1.
superstitem esse sui 3.
superstitiones 11.
suum, quid 10.

T.

tanquam i. e. non secus 32.
tardus, active 18.
Taus, aestuarium 22.
temporales laudes 46.
tenere arma i. e. retinere 16.
terrere, absol. 20.
Thrasea v. Paetus.
Thyle s. Thule 10.
tollere, de liberis 6.
trahi factionibus 12.
tranquillitas et otium 40.
transigere, i. q. finire 34.
transire, de sole 12. i. q. transigere 6.
transvehi, de tempore 16.
Trebellius Maximus 16.
tributorum triplex genus 19.
tristitiam exuere 9.
triumphalia ornamenta 40.
triumviri capitales 2.
Trucculensis portus 38.

U.

ultra, de tempore 9. absol. 12. 25. 30. ultra quam, explicative 4.
(in) universum aestimare 11.
Usipii 28.
usum et artem addere 5.
ut, tanquam 16.

V.

vacui sc. pugna 37. vacua provincia 40.
vastare gentes 22.
velut pro veluti si 32.
Veranius 14.
verti ad occasionem 18.
veteranorum coloniae 14.
Vettius an Vectius 8.
vexilla 35. sociorum 36.
vires ministrare 14. de militibus 38.
vultus et animus 43.

CORRIGENDA.

pag. 6. in notis, v. 20. verba: Mihi audacius — *Oceanus.* ad proxime praecedentem notulam pertinent.

— 16. v. 14. ascivit, quod in notis commendatur.

— 17. in notis, v. 17. locus Virg. legitur in Georg. 2, 116.

— 21. — —, v. 3. post ita pro semicolo colon ponendum est.

— 23. adde ad notulam ordine octavam locum e Tac. Germ. 45. *persuasio adiicit* etc.

— 27. in notis, v. 14. post vv. his locis pone colon; ib. 17. dele majorem interpunctionem post v. Caligula.

— 30. v. l. et 2. leg. alterius manus, centuriones alterius, ut in notis recte scriptum exhibetur. — Ib. in notis v. 19. post vv. *quantulum* uterque cod. Vat., adde: ut Germ. 28, 2. *quantulum enim amnis obstabat.*

— 42. in notis, v. 7. lege est i. q. aequalis, etc. omissis: a).

— 45. v. 1. post praefectus pone colon.

— 49. v. 16. sic interpunge: ac securi, pro salute de gloria certabant.

— 53. in notis, v. 10. verba: Beckero — commemoratur dele.

— 57. in margine ad v. 4. adscribe 32.

— 65. v. 3. lege: quum aegre diu stantes, deleta ib. vocula jam.

— 68. in notis, v. 8. pro pocul lege procul.

— 77. — —, v. 2. pro Qint. lege Quint. — ib. 9. pro: in ind. Quasi: lege: in ind.: Quasi cujus —

Reliqua benignus lector facile ipse corriget.